E E
g 6
63034/B
The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

POZZI, G.

T8

N. k. 30

# JOSEPH POZZI

## JAC. FIL.

*PROFESSORIS BONONIENSIS*

E T

Academiæ Scientiarum Inſtituti Sodalis

# ORATIONES DUÆ

*QUIBUS ACCEDIT*

EPISTOLARE ANATOMICUM

*COMMENTARIOLUM.*

LONDON·MEDICAL·SOCIETY

*B O N O N I Æ*

*Apud Lælium a Vulpe. Superiorum permiſſu.*

*MDCCXXXII.*

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30510247

EMINENT. ET REVEREND. PRINCIPIBUS
S. R. ECCLESIAE CARDINALIBUS
*HIERONYMO GRIMALDI*
A Latere Legato
*ET*
*PROSPERO LAMBERTINI*
Bononienſi Archiepiſcopo
NEC NON
*ILLUSTRISSIMIS ET EXCELSIS*
*REGIMINIS SENATORIBUS*

LAELIUS A VULPE TYPOGRAPHUS F.

*NIhil eſt, Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Principes, Illuſtriſſimi, & Excelſi Senatores, in quo, quæ mea eſt opinio, tam elaborare litterati Homines debeant quam in ſelectioribus diſciplinis non ſolum diligentiſſime tradendis, ſed quod præcipuum eſt, in inſtituendis ad eaſdem, formandiſque Auditorum animis, & moribus. Eſt enim ejuſmodi ſtudium cum Reipublicæ utiliſſimum, tum vero ad commendationem nominis honeſtiſſimum. In utroque*

*officii genere cum Joſeph Putius maxime præſtiterit, magnam idcirco a pleriſque non indoctis Viris, qui me pro edendis Commentariis, ac litteris, ut ſolent perhumaniter, conveniunt, audivi iterum, ac ſæpius laudem ſibi apud omnes, & gratiam peperiſſe. Cum enim hoc ipſo Anno Anatomicam Cathedram iterum aſcenderit, abditaſque Humani corporis partes illuſtraverit ſingulari ſtudio, & diligentia, atque de illarum uſu, & ſtructura, ut mos eſt Bononienſis Theatri graviter diſputaverit, Orationes quoque duas, quaſi ſtimulos quoſdam ad præclaræ hujus Juventutis animos ad hæc ſtudia incitandos adhibuit. Oſtendebat altera quam magnum extitiſſet in condendis corporibus Dei opus, & ſapientia, tuendiſque amor, & providentia. Suadebat altera, & cohortabatur vehementer diſcipulos, ne veteres fontes unde doctrinam hauſerunt, velut inanes cum vulgaribus quibuſdam turpiſſimæ notæ hominibus ſumma injuria obliviſcerentur. Hæ Orationes vix mihi (etſi auctore inſcio) ab Viro graviſſimo, & potente traditæ fuerunt, & imperatum ut typis committerem, quod ſtatim gloriatus ſum mecum ipſe, & gaudio exilui, neque multum quæſivi, quos mihi potiſſimum Patronos eligerem in quorum illas nomine pervulgarem; nam veſtra mihi continuò occurrerunt Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Principes ampliſſima nomina tum ob incredibilem veſtram in bonos omnes voluntatem, ſtudium, favorem, tum quia jampridem intellexeram vos, iiſdem cum Putius in Anatomico Theatro publicè eas recitaret benigniſ-*

*nigniſſimè non interfuiſſe modo, ſed ipſum quoque ut emitteret impuliſſe. Occurriſtis & vos Vigilantiſſimi, Excelſique Senatores, qui ut auctoritate ſumma, veſtrique nominis amplitudine valetis plurimùm, ſic etiam libello huic, & Auctori exiſtimationem maximam conciliare, & adjungere poteſtis. Conſtitui propterea Orationes eas vobis dicare nunc tandem exeuntes. Quod non dubito, quæ veſtra eſt clementia, quin ſitis probaturi. Valete, & noſtræ & litteratorum Reipublicæ incolumes vos ſervate.*

# AUCTOR LECTORI.

UT primùm hoc anno Anatomes a nobis confecta eſt, quidam mihi circumſteterunt, verbiſque, & rationibus ſuadere tentarunt ut Anatomicam proluſionem, ſimulque Orationem alteram pro gratiarum actione ad populum habitam typis committerem, & nulla interpoſita mora publici Juris facerem. Quod ut primùm ſenſi ſubriſi tum quod putavi illos familiariter nobiſcum velle jocari, tum præterea quod non ita impudens, arroganſve ſum, ut judicem lucubrationes noſtras in vulgus emiſſas vel utilitati, vel oblectamento hominum generi eſſe debere. Verùm ut graviter illos inſtare audivi, & pertinaces in præconcepta opinione perſiſtere vidi graviter ego quoque, ut ſummas gratias egi pro nimia humanitate, ſic rectè, & apertè illis hac in re me ſatisfacturum eſſe negavi. Quid enim ajebam, & Jure quidem ajebam, concluditur in lucubrationibus hiſce quod gloriam potius quam vituperium Auctori ſuo poſſit comparare? Si materiam ſpectetis nihil novi eſt, nihil quod a Deerhamio, a Rhedio, a Morgagnio, a Valliſnerio, aliiſque Philoſophis non ſit decerptum. Si formam rectè perpendatis Orationes ne ſunt, lectiones, lucubrationes, an neutrum iſtorum? Qui ordo, quæ ſententiæ, qui ſplendor, quæ varietas, quæ oratoriæ artis lumina eluceſcunt? Si latinam elocutionem ad trutinam revocetis vereor ne potius confuſionem accuſetis rerum, quam purgatæ dictionis ordinem cognoſcatis. Hic phraſes Muretti, illic Facciolati ſententiæ, hic Sigonii dicta, illic Tullii, Ambroſii, Auguſtini, Paulli ſenſus & verba circumretitam quamdam faciunt ſtyli implicationem, atque utinam ut illi ornatè, ſic nos purgatè ſcripſiſſemus, ſed fortè e calamo ceciderunt obſoleta quædam, & grammaticorum legibus nullomodo accommodata. Accedit quod peregregii Viri, & ſumma laude digniſſimi Archigymnaſii noſtri Profeſſores, qui vero, & nervoſo Oratorum more de Anatomicis rebus ita publicè dixerunt, ut univerſa commota ſit Civitas,

& ad extremas gentes illorum ſapientiæ rumor allatus ſit ne cogitarunt quidem etiam permoti, & compulſi utiliſſimas Orationes habitas in vulgus emittere; quod ſi Viri iſti quibus, & doctrina, & eruditione non par, aut ſimilis ego ſum, ſed in illorum numero me extremum eſſe ſummi eſt honoris, & laudis illuſtria ſcripta ſua in lucem proferre negarunt, ille ego qui nec ſcientia Anatomicus, nec arte eloquens, nec ingenio Vir in ſcenam prodire fucatus quidam, & garrulus Orator non dubitabo? Mementote quod ſpatio tantùm dierum ſex a me inexercitato homine utraque lucubratio confecta eſt, hinc ſi fortè quid laudis ex ipſis habuimus id omne & geſtui, & voci, & actioni, & loco tribuendum eſſe judicamus, quæ omnia cum & hiſtrionibus, & circulatoribus ſint communia vix aliquid habere in ſe dignitatis cognoſcimus. Itaque fortè ſi aliquibus res noſtræ placuerunt pro nomine meo ſat eſt, ſi diſplicuerunt pluſquam ſatis. Hæc & alia plura amicis ſignificare non pudebat ut & veritati locus eſſet, & me a moleſtia liberarem, & illi a præjudicata opinione liberarentur; ut ut autem verbis noſtris perſtricti quieſcerent, non potui tamen etſi invitus quin aliquibus Scripta noſtra legenda committerem. De manu in manum, de amico in amicum traducta ſunt, & denique Auctori ſuo reſtituta. Quieſcebam jam nihil cogitans cum venit ad me Lælius a Vulpe Typographus ſolers, & promptus rogans ut Orationes meas jam typis commiſſas recognoſcerem, & ſi quid corrigendum eſſet retractarem. Fingere nunquam animo potes, Lector ornatiſſime, quænam ex hoc vento in nobis tempeſtas ſuborta fuerit. Timor, ira, pudor circumſteterunt, jamque me continere non valens Typographum objurgaturus ſurrexeram, cum ſenſi id factum fuiſſe juſſu, & clementia Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Principis Proſperi Cardinalis Lambertini Bononienſis Archiepiſcopi, qui ut amore, & ſapientia omnium voluntates devincit, ita auctoritate torpentes, & mediocres animos excitando, ad majora & maxima ſpiritum adjungit, & Vires. Summa ergo tanti Principis benignitate permotus

annui perquamlibenter, illudque unicè petii ex Typographo ut data eſſet mihi ad te monendum, benevole Lector, facultas, ne id tu Juvenili ſuperbiæ, & ambitioni meæ dares, quod debitæ obtemperationi, & juſto officio eſt tribuendum. Cum tamen viderem in Orationibus noſtris vix aliquid eſſe quod Anatomicum ſaperet non abs re putavi ſi aliam Lælio Epiſtolarem lucubrationem evulgandam committerem Petro Paullo Molinelli conſcriptam, in qua extant nonnulla ad Anatomen verè pertinentia. Sunt in illa paucula nova, & a nobis inventa, ſunt alia quæ nonnullorum confirmant res, ſunt aliqua quæ conjecturis nituntur, ſunt experimenta iterum renovata, omnia verò in ſtudiis hiſce noſtrum ſignificant deſiderium. Sic factum eſt, ut ille ego, qui nihil evulgatum volebam, nunc edita plura habeam, quam tu Lector ſapientiſſime velis. Sed nec pudet, nec pœnitet, nam licet omnia levia, pauca, moleſta, & inutilia videri tibi poſſint obſervantiam tamen meam erga te ſignificare contendunt. Itaque mecum age clementer, & patienter hæc excipe: quod ſi criticus Judex adversùs hæc paucula ſcribes audiam libenter quid ſentias ſive ut victus ingenuè errores fatear, ſive ut victor te ipſum amplectar, & diligam, modo & tu, vel ut Philoſophus, vel ut Anatomicus aperta fronte in aciem venias, nam ſi aut perſonatus prodibis, aut injurioſus offendes reſpondebo nihil, nihilque dicteria curabo. Hæc habebam quæ monerem. Vale.

# PROLUSIO

## Ad Anatomen.

*CUm difficile, & grave Anatomicum opus jam quinque ante annis ex hoc illuſtri honoris, & amplitudinis loco inſtitutum, confectumque a nobis eſſet ſi non nominis noſtri commendatione, at certè tanta felicitate, quanta a lectiſſimorum Virorum iſtorum benevolentia, & amore comparata eſt, atque conceſſa A. O. continuò de nova ſtudiorum, vitæque ratione ineunda cogitare cœperam, atque adeo laborioſam iſtam, periculoque plenam provinciam non deſertam quidem, aut ex toto incultam relinquere, ſed quantum ſat eßet pro hominum valetudine tuenda e longinquo tanquam a ſpecula proſpicere decreveram, complicatiſque velis, cæteriſque armamentis compoſitis navim ſubducere, & in portu quieſcere conſtitueram.*

*Jamque diſcipulos noſtros ætate, ingenio, viribuſque bene valentes ad incidenda corpora mortuorum, eorumque viſcera, atque inteſtina ſcrutanda impellens, quæ in iis natura clauſißet quantum libenter ſentiebam invitè tantum docebam, totuſque inter morbos, inter ægros, inter remedia verſabar, cum vos Senatores ampliſſimi, quorum diligentia, & amore ſtudia noſtra diriguntur, me jam aliud cogitantem, atque opus iſtud firmo animo declinantem a ſuſcepto conſilio ſubduxiſtis, atque in veterem tra-*

*bentes ſemitam ad intermiſſa diu, multumque anatomica ſtudia revocanda præmiis incitaſtis, promiſſis adduxiſtis, auctoritate coegiſtis. Quamobrem jam ſatis arbitror, Auditores, ſuſcepti a nobis operis, deliberatæque ſententiæ rationem vobis eſſe perſpectam; neque enim ſub oculis Hominum ponenda ſunt innumera beneficia ab illis in me collata, quæ circumſtare videntur, & ad parendum ſollicitant, neque quædam a natura nobis indita propenſio, obſequendique ſtudium, a quibus abripi me ſentio, ſed tantum voluntatis illorum, qui nobis præſident ſignificatio, quæ etſi magnam curam, magnam ſollicitudinem, magnum nobis onus imponit cuicumque tamen a noſtris laboribus quæſitæ remiſſioni, atque quieti anteferendam eſſe judicamus.*

*Itaque prompto, libentique animo locum hunc conſcendimus tum quod a Magiſtratibus præſcriptum eſt, imperatumque nobis quod ſatis eſt, tum quod pertractandæ rei argumentum, atque ratio excitat me, & quaſi calcar admovet ad eam conficiendam viam jam aliàs veſtigiis noſtris ſignatam, ſudoribuſque perfuſam. De homine vivente dicimus, hinc de viſcerum compage & nexu, poſt de humorum velocitate, & circulo, inde de exortu, de nutricatione, de motu, de ſenſu, denique de ſociis omnibus, atque adjutricibus animalium ſalutis actionibus erit a nobis in poſterum diſſerendum.*

*Ergo quid adhuc torpentes, & tardi in veſtibulo hæremus? Quid greſſus dirigere dubitamus? Quid nondum aras tenemus? Accedite, accedite Adoleſcen-*

*ſcentes optimi, qui huc tanta frequentia, tantoque Anatomicæ veritatis ſtudio conveniſtis, & me duce, ac præeunte non aſperum, ſed planum, non tenebricoſum, ſed perſpicuum, non laborioſum, ſed leve iter ingrediminor. Quod ſi nemo eſt, quem non aut concepta ſpeculo, aut manu expreſſa corporis ſui forma delectet & moveat, non vereor quin pergrata, perquejucunda ſuſcepti conſilii ratio futura ſit, in qua non ſuperficiarium pictæ cujuſdam imaginis corticem, ſed medullam, & viſcera, vos in vobis, vos in animalibus, vos in plantis, in vobis denique Divini artificis completum opus contuebimini. Agite ergo ab illo cadavere, quod ea in tabula, neſcio qua de conſuetudine, obductum nobis proponitur velum removete; vel enim infirmitatis noſtræ, breviſque peregrinationis recordationem refricat, & tum oculis noſtris corpus illud non eſt removendum, cum carceris hujuſce tenebrarum, miſeriarumque plenum optabilem finem deſignet, vel in illo excellentiæ & magnitudinis Divini artificis lumen elucet, omniumque tum conſpectui, animorumque meditationibus eſt ſubjiciendum, ut vos, qui hic ſtatis, quaſi in auguſtiſſimo templo ſedentes debita veneratione, & ſilentio immenſum tanti operis effectorem proſequamini. Revera non minus in homine, quam in animalium omnium corpore, ita eſt unaquæque res ad ſuos uſus accommodata, ut a mente quadam infinita omnia, & cognoſcente, & providente, & animadvertente illorum corpora conſtructa eſſe ſit pronunciandum. Quod etſi communi omnium veſtrum*

*ſuffragio comprobatum videmus, brevi tamen ſermone nunc confirmare contendimus, ut primùm ad dicendum initium a Deo ipſo ducamus, tum vero ut attentionem eam, quam incultæ, & vulgaris orationis noſtræ imbecillitas deſiderare vix poſſet argumenti ratio obtineat. Sapientiam itaque Dei cum animalium corpora creat, providentiam cum ſuſtinet probandam nobis inſumimus, quod cum immenſum quoddam ſit, neque ullo aut temporis, aut orationis ſpatio circumſcribendum, faciam more Pictorum quorumdam, qui lineis, & ſignis per tabulas ductis pingendarum rerum multitudinem, vel leviter adumbrando, deſignare videntur.*

*Putavi ſemper, atque etiam nunc ſatis firmè puto fuiſſe neminem inſipientem adeo, atque improbum, qui interioris ſenſus impoſitum jugum dejiciens præſtantem aliquam, æternamque naturam omnia ſentientem, omnia moventem, omnia moderantem negare non dubitaverit, univerſarumque rerum principium, ordinem, nexum, cohæſionem fato, fortunæque commiſerit; & licet nos non lateat Philoſophantes Democritum, & Epicurum nullo a principio, ſed ex æterno tempore excitaße, aut finxiße infinitam vim innumerabilium atomorum, quæ fortuitis concurſionibus inter ſe cohæreſcentes effecerint ea quæ ſunt, quæque cernuntur omnia, arbitror tamen illos non in eam opinionem hauſtam de perfidia, & deliratione prolapſos fuiſſe, quod nullum eße Deum ad veritatem planè ſibimetipſis perſuaſum haberent, ſed vel quod inanis gloriæ, atque oſtenta-*

tio-

*tionis cauſſa in illorum animis de nova conſtituenda Philoſophorum ſecta igniculus accenderetur, vel quod licentiam libertatemque vivendi in ſola voluptate poſitam aliquo exiſtente, & gubernante Deo præcidi Jure, & facilè poſſe dubitarent.*

*Etenim ſi illorum rationes tanquam in venis, medulliſque inſidentes ſuis e viſceribus educamus, non Philoſophorum ingenia, ſed delirantium ſomnia, non argumentorum vim atque robur, ſed contorta quædam, & aculeata ſophiſmata, non veritatem, ſed mendacium, non virtutem, ſed ſimulationem, undique inſidias, undique calliditatem, fallacias undique reperiemus. Ergo ne quod ab irato Pictore in tabulam projicitur ſpongia, atque ora equi inexpectata ſorte ſpumeſcunt, reliqua, quæ per univerſum vagantur orbem artificioſo fortunæ facinori ſunt tribuenda? Quid ſtultiùs eſſe poteſt quam omnia eventui ſubjicere, cujus natura intellectui plane adverſatur, cujus proprietas ab inconſtantia dependet, cujus actio ab impetu non ſejungitur, cujus poteſtas in temeritate eſt ſita. Quiſnam immenſam atomorum ſeriem creavit? Quiſnam in infinito inani collocavit? Quiſnam conceſſit eis agendi modum, atque rationem? Si jam nihil erat atomus quomodo a ſe ipſò habere poteſt originem id quod nihil eſt? Si vero ſolida iſta corpuſcula nulla temporis circumſcriptio metiebatur, quomodo jacentia, & ſine motu immutabili in æternitate continebantur? quomodo datum eis eſt principium motionis, atque volubilitatis? & ſi illarum motus ab omni æternitate eſt repeten-*

*tendus cur ex ſempiterna concurſione, & cohæreſcentia ſexcenta millia, & etiam infinita mundorum non ſunt compoſita, cur non iterum everſa, cur non renovata?*

*Sed vel eſſent hæc omnia, quo animo pronunciabunt rerum omnium ordinem ab inconſtantia, legem a mutabilitate, conſilium ab impetu, deliberationem a fortuna, & caſu pendere? Si ſagittam apri latus aperientem videmus, ſi procul navigii curſum animadvertimus, ſi ſtellarum errantium motus in ſphæram alligatos cognoſcimus, de venatoris manu, de nautæ gubernio, de ſapientia artificis judicamus, ſtulte vero, incauteque aliquis cauſſam illam hæc omnia moventem, & complectentem conſilii & rationis expertem eſſe putabit?*

*Excita excita Deus omnipotens Athenienſibus ex monumentis cineres Diagoræ Athei, qui cum naturam tuam aperte ſuſtuliſſet conſtituit ſigna, facemque improbis, nihilque ſibi ultra vitæ terminos promittens Religionem irriſit, Templa diripuit, pietatem ejuravit, rerumque omnium Cauſſæ cultum non ſolum a ſe uno diſtrahere, ſed & a ſingulis hominibus, ſed a Provinciis, & a Civitatibus evellere, ejicere, exturbare, malitioſe cæcutiendo tentavit. Indue Deus fortis nova carne hominem, colligatiſque nervis cum oſſibus ſit adhuc ille hodierna die per tuam potentiam in numero viventium. Congrediatur nobiſcum, & luctetur: Satis nervorum habemus, ut illius audaciam reprimamus, ſatis animi ut irruentis impetum ſuſtineamus, ſatis virium ut gladios in pectus noſtrum*

diſtri-

*,diſtrictos retundamus. More Ducis præliaturi inſtruam aciem in nomine tuo, accommodatiſque locis agmen conſtituam. Occurrent univerſæ gentes, & populi primum Motorem, & effectorem Deum benedicentes in templis, & aris, in votis, & victimis, in ſacerdotibus, & miniſtris. Fatebuntur nec eſſe, nec fuiſſe unquam nec regnum, nec provinciam, nec terram, nec urbem, nec caſtrum, quæ divinum aliquem Mundi hujus Procreatorem non intellexerint. Hinc ſi, ut ait Seneca, nemo omnes, omnes neminem, ſinguli ſingulos fallunt, cum quod univerſis videtur verum eſt, ita perſtringetur inſipiens, ut ne in corde quidem ſuo audeat dicere non eſt Deus. Miniſtrabunt arma naturæ effectus certo ſemper directi termino, proportionem in ſe ipſis ſervantes, reſpectum ad reliquos habentes, propriis mediis finem obtinentes, impedimenta ſummo conſilio removentes, atque in tot luctis, tantiſque varietatibus, certo ſemper, firmoque gradu progredientes. Hocque gubernari, & regi non erit ab infinita mente omnia intelligente, & cognoſcente? Enarrabunt gloriam tuam Domine ſidera aut firmamento infixa, aut circa ſe ipſa rotata, & ſingulari velocitate circumvoluta, quorum aliqua ex his, quæ planetæ dicuntur a Sole accepto lumine relucent, aliqua vero immenſe tantum diſtant ab illo, ut lumen reflectere nequeant, ſed proprio, congenitoque micent ſplendore. Quod ſi vel terra trecenties ſexagies quinquies circa ſe volvatur dum ſemel communi vertigine Solem circumducitur, vel nunquam in-*

*cli-*

*clinet orbis hic noſter fundatus ſuper ſtabilitatem ſuam, ut ex Joſue imperio comprobatum videtur, planetarum tamen diſcurſus ſemper eſt certus, ſemper cum lege, cum ordine ſemper, ita ut ſtatutis temporibus eo revertantur aſtra, unde ſunt profecta tametſi ſtare nonnunquam, & aliquando regredi videantur. Erit ne ergo fortunæ opus tres ſuperiores Planetas ſemper eſſe retrogrados, cum Soli opponuntur, directos cum ſunt in conjunctione, & in maxima a Sole diſtantia ſtationarios, ut ajunt, in utriſque quadraturis? Eritne tribuendum fortunæ Mercurium trimeſtri, Venerem octimeſtri =*

*Sed quid progrediente Oratione noſtra adverſus eos ſtare contendimus, quorum rationes tanquam fabulas compoſuit inſana quædam antiquitatis libido, vel qui etſi perfricatæ frontis ne vocem quidem unam proferre audent, vel quorum mens ita de ſua ſede eſt deturbata, ut riſu, & ſibilo explodi, rationibus vero expungi, & excitari non mereatur. Hos itaque in tenebris ſuis jacentes, ſepultoſque linquamus, & ſit commemoratio miſericordiarum Domini inter nos, qui in ea provincia, ea in civitate, eo in gremio, eo cum lacte vivimus, fovemur, & veſcimur, per quod, & in quibus ita naturæ noſtræ cognitio Dei eſt indita, ita altiſſimas in nobis radices agit, ut illam e loco ſuo dimovere non eſſet datum, ſi vel etiam pertinaces, & improbi rationis jugum excutere tentaremus. Interior undique vox clamat ſi quærimus quis hæc fecerit Deus eſt, ſi per quid fecerit dixit fiat, & facta ſunt, ſi*

*quare*

*quare fecerit quia bona ſunt., nec auctor eſt excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec cauſſa melior, quam ut bonum crearetur a bono Deo.*

*Atque eo majora beneficentiæ ſigna in nos protulit, quo liberiora hæc fuere, nec ulla neceſſitate alligata. Operatus ſiquidem Deus eſt juxta divinæ ſapientiæ ſuæ præſcriptum, ſed cum ſit liberimus, & actionum ſuarum Dominus poterat nihil extra ſe efficere, nihilque moliri. Se ipſo contentus eſt, & perfectus, nec quidquam præter ſe, ſuique naturam amore neceſſario proſequitur; hinc quidquid extra ſe creavit æterna quidem, & immutabili actione effecit, ſed ea neceſſitas ex divinis decretis, quæ ſunt liberima eſt profecta.*

*Revera in infinita, æterna innumerabili ſeculorum ſerie, quæ anteceſſerant, erat Deus; ſed quid anteceſſerant ſi nulla erant? Erat inquam in æternitate Deus omnipotens ſe ipſum amans, & in ſe ipſo beatus, cum placuit illi univerſum hunc Orbem, & quæ in ipſo vel continentur, vel in illius ambitu ſuſpenduntur efficere ſic, ut actio divina, quæ illius natura eſt, relationem haberet ad creaturam. Non erat tum nec tempus, nec ordo, nec materia, nec ornamentum, cum repente ſuperius Cælum (hoc eſt multitudo ſpiritualium rerum) ex nihilo creata eſt, eodemque nutu & puncto noſtra hæc prodiit terra aquis undique ſparſa, tenebris circumfuſa, & in perturbatione rerum omnium poſita. Spiritus autem Domini, qui ſuper aquas ferebatur, hoc eſt voluntas Dei rebus omnibus præſens, lucem*

*compoſuit, tenebras ſejunxit, aquas diviſit, maria conſtituit, luminaria diſpoſuit, dies ſignavit, noctibus imperavit, tempora diſtinxit, ſtellas vocavit, & reſponderunt: jam adſumus.*

*Quibus omnibus ad Univerſi hujus neceſſitatem compoſitis, ſemina, quæ jam prima die ſimul cum terra creata fuere tumeſcere, & virentia germina emittere juſſit, hinc fruticari herbæ, floreſque emergere fructibus matureſcentibus cœperunt, ut ad ornamentum Orbis non minus quam ad voluptatem, ad tutelam, ad alimoniam eſſent viventium hujuſce terræ habitatorum. Reſonabat enim undique vox Domini imperantis. Prodeant, prodeant animalia, quorum anima ſit in ſanguine; & hæc prodibant; ex his plura gradiantur; gradiebantur; flexuoſe moveantur nonnulla, & ſerpant; ſerpebant. Per aera librentur aliqua, cœloque fruantur libero; fruebantur. Habitent multa aquis concluſa, & fluitent; fluitabant. Jamque mihi videre videor piſces ad nutum, & voluntatem Creatoris modo ſuper aquas ſe ſe attollere, modo ſe ſe ſubmittere iis inſtructos inſtrumentis ad tantum peragendum opus neceſſariis. En quomodo alii cruſtati, & fortes, ſquammoſi multi, & leves, carnoſi innumeri, & graves, proportionem quam habet numerus ad numerum ſervant iſti ad paſtum, ad locum, ad actiones, ad motum. Lato penicillo inſtruitur cauda, ad ventris latera alæ appenduntur, quibus ſive flexis, ſive compoſitis, ſive laxatis quaſi totidem remis corpus propellitur, & per undas urgetur.*

*Ser-*

*Servandum eſt æquilibrium in piſcibus illis ducentos ſæpe cubitos, & ultra ſuperantibus; in iis vix ad ſemidigiti longitudinem, & craſſitiem compoſitis; in iis qui vix granum piperis magnitudine æquantes viridis ſpumæ formam præſeferunt, & mentiuntur. En ergo quod majorum piſcium corpora oleo inuncta, & integrata fere ad æquilibrium comparantur, in ventre vero minorum veſiculæ modo aere turgentes, modo remiſſæ id faciunt ut ſive fluitent, ſive Jure ſuo ſubmergantur. Ducendus eſt aer ad reſpirandum, ſed organa ſunt comparanda quæ aqua non ſubeat ſpiritum intercludens, hinc branchiæ ita pertunduntur ut aquam repellant, aerem facile intromittant, quin immo animalculorum fluviatilium aliqua fiſtuloſam caudam ab aquis extrudunt, atque per apertam ad illius extremum vaginulam novum exhauriunt aerem.*

*Nihil dico de complanatis oculis, & pro mediorum denſitate diſpoſitis, nihil de ſquammis ad opportunitatem natatus compactis, nihil de amphibiorum cruribus ad modum remorum effectis, nihil de ovato foramine in iiſdem aperto, ut quæ in terris degunt innocue vivant ſub aquis ſine periculo. Quæ etſi omnia, & innumerabilia alia prætereo, non poſſum quin ea perpendens conclamem. Proh Deum omnipotentem: quam longe lateque ſapientia tua diffunditur. Si unum in locum congregarentur omnes, qui jam ſapientes fuerunt, qui ſapientes dicuntur, qui in ſapientum numero collocabuntur dicite amabo A O cuinam iſtorum non dico piſcem, non branchias, non*

*inteſtina, non jecur, ſed tenuiſſimam ſquamulæ partem componere datum eſſet? Exprimet Zeuſis uvas ingeniosè ita pictas, ut ad eas devolent aves. Linteum afferet Parrhaſius, quod manu removeri poſſe peritiores artifices arbitrabuntur. Suſpendet Architas libramentis columbam, quæ ſpiritu incluſo evolabit. Formabit oculos Dędalus, abditiſque quibuſdam nervis efficiet, ut huc, & illuc moveantur; nulla tamen arte, nulla vi poterunt veram, & viventem membranulam, pilum, unguem, ſquammulam cum nutritiis organis, cum vaſis vehentibus, & revehentibus, cum inſtrumentis motus, cum organis ſenſus, cum ſecretoriis machinis conſtituere; & ſi illi ob memorata opera ferramentis, & materia architectata ſapientis nomen omni conſentiente populo ſunt promeriti, nonne Jure magis ſapientiſſimus ille erit, qui nihil redundans, nihil fictum, nulla præeunte materia, neceſſitate nulla cogente, res omnes creatas voluit, vitam conceſſit, naturam tribuit, attigit a fine uſque ad finem fortiter, & diſpoſuit omnia ſuaviter?*

*Sed brevibus hiſce terminis non coercetur Deus Omnipotens ſapientia tua, qua doces nos ſuper jumenta terræ, & ſuper volucres Cœli erudis nos. Undenam in avibus diſpoſitio membrorum, undenam forma corporis tam apta ad volandum niſi a te ipſo haberi poteſt, & repeti? ſive ad illarum caput parvum, & breve, ſive ad Thoracem robuſtum, & anguloſum, ſive ad ventrem tenuem, & membranaceum, ſive ad tergus prælongum, & caudatum oculos*

*los convertamus. Tu in aptiori corporis parte alas appoſuiſti concavas, ut in aere librentur, flexibiles, ut opportune extendantur, muſculoſas, ut ventorum impetum ſuperent, plumoſas, ne moleſto pondere gravitent; quinimmo cum plumæ ventorum injuriis expoſitæ areſcant facile, & ſubcriſpentur ſacculum conſtruxiſti oleum emittens, ut iſto plumæ inungantur, & polito roſtro complanentur. Habitant in paludibus anates; tu illarum digitos & pedes membranulis quaſi colligas, quibus apertis retropellitur aqua, quibus reſtrictis dehiſcit. Laſſæ jam, & fatigatæ ab itinere hirundines alteræ alteris ſuperimpoſitæ de ſcopulis debent ſuſpendi; tu brevia illis appendis crura, pedeſque rotundos, ita aduncis unguibus armas ut invicem apprehendantur, & cohæreſcant. Opus eſt ut picus velociter correptet arbores, & inſectetur formicas; tu fortes, & muſculoſas coxas brevibus adnectis cruribus, unde facile plantarum cortices quattuor acutis digitis apprehendit, validamque caudam intro flectens quaſi per gradus repit, atque ab illa velut ſuppoſito fulcimento ſuſtentatur.*

*Longus ſim ſi omnia perſequi velim, ut araneorum plures octo diſtinxeris oculis ad circumvolantem prædam capiendam, ut bombicem concluſeris folliculo, cujus fila quattuorcentum quinquaginta in longitudine ſuperant cubitos, ut muſcis ad anum terebras affixeris, quibus evaginatis, & in arcum convulſis corporibus pertundantur frondes, fiatque capax receptaculum pro vermibus naſcituris.*

*Ardeo,*

*Ardeo, mihi credite auditores, in parte tam ampla dicendi deſiderio, ſed cum opera Domini nos circuunt, quis inveſtigabit magnalia ejus, virtutem autem magnitudinis ejus quis enunciabit, aut quis adjiciet enarrare miſericordiam ejus. Occurrunt bruta, occurrunt inſecta, occurrunt aves, occurrunt piſces, occurrunt plantæ, occurrunt venti, occurrunt cæli, occurrunt ſidera, & clamant: quomodo in Deo vivimus, & movemur, & ſumus niſi quia virtute ſua, & ſapientia univerſum conſtringit, & continet Mundum.*

*Sed hæc omnia nec eſſent, nec eſſe poſsent a Deo, niſi etiam eorum quæ ſunt, & factorem, & proviſorem eundem Deum haberemus. Etenim cum divinitas, & præterita teneat, & præſentia ſciat, & futura proſpiciat, contemplatur omnia perfecta bonitate, & neceſſaria providentia ſua, cum in divinitatis, eternaque ſapientiæ natura ita contineatur providentia quemadmodum unitas in numero; nec enim aliunde Deus bonus eſt, quam unde magnus, nec aliunde juſtus, aut ſapiens, aut providens, quam unde magnus, & bonus, nec aliunde denique ſimul hæc omnia, quam unde Deus, & hoc quoque non niſi a ſe ipſo; hinc cum fecerit terram in fortitudine ſua, præparaverit orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extenderit cælos, curam paternam & maximam rebus ſingulis impendit, ut illæ debitos in fines dirigerentur, atque deducerentur, nam ſicut divina mens per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & media, & fines potentiæ ſuæ non repugnantes*

*tes cognovit, hinc viam, atque exitum mediorum per ſcientiam, ut ajunt, conditionatam diſtinxit, denique rerum omnium quæ futuræ erant notitiam per ſcientiam viſionis complexa eſt, voluntatem direxit ad finem, ad præparationem mediorum, ad actualem potentiæ ſuæ applicationem ad media, in quibus omnibus divinæ providentiæ complementum eſt poſitum.*

*Porro ſi creatis rebus præceptum non poſuiſſet, quod præteriri non poſſet, & in viis ſuis non ſe ſe nobis oſtendiſſet Deus, qua in rerum perturbatione collocatus eſſet hic orbis, quæ temporum concurſio, quæ omnium eſſet conflictio? Jam cum terra germinare vellet herbam virentem, jacta in ſui ſinu conſtringeret ſemina, & aperta nunquam emitteret; modo ſol præeſſet noctibus & ſine lege lux tenebris miſceretur; cuncta opera manuum noſtrarum in facie venti diſſiparentur, & quemadmodum navigium ſine gubernatore facile mergeretur, ſubſiſtere mundus non poſſet Deo non gubernante. Hinc magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, cujus ſapientiæ, cujus bonitatis, cujus providentiæ non eſt numerus, ut quæ ab ipſo facta ſunt ſervarentur, cuſtodirentur, inſtaurarentur operuit cælum nubibus, & paravit terræ pluviam, produxit in montibus fœnum, & herbam ſervituti hominum, dedit jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum.*

*Videte eam in campo plantam quomodo creſcit, quomodo vivit, quomodo nutritur, & vel cum*

*mar-*

*marceſcit, & perit, quomodo per nova ſemina propriæ conſulit propagationi. Sunt in illa canaliculi, qui terræ inhærent, ut nutritium humorem exſugant, ſed forte exſugerent nunquam niſi deſuper pluvia deſcenderet, quæ areſcentes campos rigaret. Deſcendit iſta, & velut a cribro trajecta juvante ſolis calore, comprimente aeris pondere, cogente canaliculorum tenuitate per vaſa plantulæ diſtribuitur, & ſive illis inhæret, unde incrementum, ſive deperditarum partium occupat loculos, unde nutritio, ſive in utriculis deponitur, unde perfectio, ſive ingredientis aeris patitur percuſſiones, unde ſubactio, ſive a foraminulis egreditur, unde redundantium ſecretio. Hac autem in re quiſnam rationem ordinis rerum proviſarum in finem, quiſnam cauſſas ſecundas executrices ordinum Dei admirari non poterit? Sed quid dico hac in re, in ſingulis, & quibuſcumque providæ divinitatis lumen elucet. Providentiæ eſt ſagacitas animalis in eligendis locis ad ova ponenda. Providentiæ eſt cura in incubandis pullis. Providentiæ eſt ſollicitudo in illis enutriendis. Providentiæ eſt artificium in nidis condendis. Hinc hirundo paleis, creta teliſque araneorum ædificat opus, ne ventus rapiat, ſtramento roborat, ne aer ſubeat, muſco cooperit, ne aqua humectet, plumis conſternit, ne infantibus commodum deſit.*

*Sed quid ab aliis firmas rationes, & argumenta ad probandum deſumimus? Teſtimonium profecto majus divinæ gubernationis habere non poſſumus, quam ab illo inſepulto cadavere, quod futuris orationi-*

*tioni-*

*tionibus noſtris pro ſatis amplo argumento eſt poſitum.*

*Concludebatur olim in materna alvo exiliſſima in capſa reconditum, cum venit aura vivificans quæ membra explicuit, pepulitque corpus a receptaculo, cumque per appoſitos canales deſcenderet maternum uterum occupavit. Ibi erant vaſa, quibus jungebatur, ibi erat calor quo fovebatur, erat materia qua nutriebatur, erant humores quibus humectabatur, erant tunicæ quibus complectebatur, erant denique inſtrumenta omnia quibus perficiebatur. Completum jam è materno gremio impatiens moræ prodivit, ſed ita prodivit, ut illi undique propriæ conſervationis, æternæque providentiæ opera circumſteterint. Firmandum corpus tenellum, & ſuſtentandum erat? Oſſa concreta ad ſtabilitatem accommodabantur. Ad varias actiones membra commoveri opportebat? Ferebant opem carnoſi lacerti. Subivit aer, & pulmones expanſi ſunt. Invenit lux in oculo retinam quam percelleret. Trementi aeri occurrere zonulæ in auribus. Perforatos in lingua nervulos penetrarunt ſalinæ lactis particulæ. In naribus expanſa eſt tunica, quæ monuit animam de odoribus. Jacet nunc inutile pondus, noſtræque infirmitatis exemplar, ſed donec corpus illud immortalis ſpiritus occupavit fuit lex, fuit ordo, fuit ratio in fluidis, & ſolidis impreſſa ne invicem læderentur, & contabeſcerent. Thoracem aperite, caput ſecate, ventrem dividite. Venient in conſpectum organa excludentia purum ab impuro, neceſſa-*



*rium*

*rium a redundante, nutritium a fœculento. En cerebrum pro ſpiritibus, en pulmones pro aere, en cor pro ſanguine, en ſtomacus pro concoctione, en inteſtina pro chilo, en jecur pro bile, en renes pro ſero, undique ligamenta, undique vaſa, undique cryptæ ad corporis indigentiam accommodatæ. Hæc vero omnia non cœmento, aut calce ſunt invicem alligata, & contexta, ſed ab exiliſſimis, diſtractibilibus filis, a membranoſis fibrillis pendet tantæ machinæ conſtructio, & artificium. Quod ſi horologium cujus vectes, cujus rotæ, cujus catenulæ, ex kalibe, aut ſolidiori materia ſunt artefactæ vix ad annum horas deſignare poteſt quin ſuberret in motu, in actione, in modo; nonne ultra naturæ vires effectum eſſe videbitur, ut humanum corpus ex pellibus, & canaliculis, ex fibris tenuiſſimis, exiliſſimis, flexibilibus ad ſæculum uſque, & ultra innocue moveri poſſit, & vivere? Oh quam profunda, quam immenſa abyſſus eſt providentiæ, ſapientiæque divinæ, quæ ita eſt magna in magnis, ut minor non ſit in parvis, a qua, ut omnia cum Auguſtino complectar, a qua, inquam, eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo, a qua eſt menſura, numerus, pondus; a qua eſt quid quid naturaliter eſt, cujuſcumque generis eſt, cujuſcumque æſtimationis eſt; a qua ſunt ſemina formarum, formæ ſeminum, motus ſeminum, atque formarum; quæ dedit carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fœcunditatem, membrorum diſpoſitionem, ſalutem, concordiam, quæ & animæ irrationali dedit*

*memo-*

*memoriam, ſenſum, appetitum, rationali autem inſuper mentem, intelligentiam, voluntatem, quæ non ſolum cælum, & terram, nec ſolum angelum, & hominem, ſed nec exigui, & contemptibilis animantis viſcera, nec avis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium ſine ſuarum partium convenientia dereliquit.*

*Sed jam tempus eſt ut finem dicendi faciamus, quod ſi in tam amplo, & neceſſario argumento eos tranſilivi terminos quos ab initio pepigi, neque mihi ſatis potui temperare pertractandarum rerum magnitudinis juſtam, & idoneam excuſationem habemus, quoniam oratio, quæ divinæ ſapientiæ, & providentiæ continet acta non velut haſta dirigitur, ut certo collineet, ſed ſecundis, variiſque conſpirantium ventorum flatibus quaſi navis impulſa fertur, & quo longius in altum invehitur eo illi amplior, & patentior curſus oſtenditur; & licet neque eloquentes, neque in dicendo ſuaves, & ornati ſimus, orationem tamen hanc noſtram infra argumenti dignitatem jacere non pertimemus, nam ſimplex enarratio operum Domini ſatis habet in ſe dignitatis, atque ab imbecillo oratore non verborum lumina, non ornamenta ſententiarum deſiderat.*

*Sermonis præterea noſtri longitudini evitandæ non conſului, cum audientium perſonarum generi, & deſiderio ſerviendum eſſe cognoverim. Dicendum enim erat in conſpectu veſtro Hieronyme, & Proſpere Cardinales ampliſſimi, in quorum facie, in quorum moribus, in quorum operibus, in quorum dignitate*

 *ita*

*ita pietatis amor, & ſanctimonia vitæ relucet, ut nihil optatius, nihilque naturæ veſtræ accommodatius eſſe poſſit, quam omni loco, omni tempore, omni occaſione divinarum rerum tractationem per omnium ora longe, lateque diffuſam intelligere.*

*Dicendum erat in conſpectu tuo Prolegate Illuſtriſſime, qui cum in excellenti ingenio, in doctrinæ ubertate, in animi tui magnitudine divinam ſingulari modo experiaris beneficentiam non aliud ex nobis hodierna die expectabas niſi ut ſapientiſſimum conſiliorum tuorum Rectorem, & Dominum publica commendatione celebraremus.*

*Dicendum erat in conſpectu veſtro ampliſſimi Signifer, Conſules, & Præfecti, qui cum Anatomicam provinciam collatam mihi voluiſtis non eo tantum animo contuliſtis, ut adoleſcentes iſti in litteris facerent progreſſionem, ſed ut divini factoris gloria in humani corporis opere omni audiente, & vidente populo amplificaretur.*

*Erat tractanda in conſpectu tuo Deus omnipotens cauſſa tua, quæ cum divina, & infinita ſit non brevitatem, non temperantiam, non modum, ſed finem nullum habere poteſt, & aſſequi. Licet tamen ante oculos ſapientiæ tuæ, velut nebula ante ſolem, vacua oratio hæc noſtra perierit, illud tamen concedas velim, ut in audientis hujuſce populi animum irrepat, & perpetuo in illis memoriam refricet miſericordiarum tuarum. Futuris vero diebus, quibus ſingula humani corporis viſcera perluſtrabimus claram mihi, præſentemque mentem tribue, ad*

*labo-*

*laborem inſtrue, ad periculum firma; quod tamen ita peto, ut non alia tecum utar obſecratione, & prece niſi eadem illa qua quinque ante annis hoc eodem ex loco ſum uſus. Supplex ad pedes tuos jacui, Dux erat Virgo Deipara, adſtabant Petronius, & Catharina, cum me alta voce clamantem audiviſti quod ſi labores mei, ſi ſtudia, ſi opera altiſſima nominis tui gloria reſponſura non eſſent excideret (ſi quidem eſſet) ex hominum memoria nomen meum, in pulverem deduceretur, in facie venti diſperderetur. Non eſt, non eſt Deus bone commutata voluntas, eadem eſt vox, eadem eſt precatio, illudque unice hodierna die ultra imploro, ut adoleſcentes iſti, quorum ſtudiorum rationem cervicibus noſtris commiſſam voluiſti, ſi quæ ex diſciplina noſtra adjumenta doctrinæ per tuam clementiam aſſequi poterunt, non eam a nobis, qui imbecilli ſumus & abiecti, ſed ab infinita tua providente ſapientia ſe intelligant eſſe conſecutos. Dicebam.*

LE-

# *LECTIO POSTREMA*

## Pro gratiarum actione.

*JAm alias anatomico confecto curſu, jam hoc eodem ex loco, jam audiente Senatu, audientibus Civibus, audiente populo ſi non parem aut voluntati, aut beneficiis acceptis, pro noſtro tamen ſtudio meritam gratiam, debitamque agendi opportuna ſe ſe obtulerat nobis occaſio A. O. vaſtiſſimoque hoc in mari plenis velis præter vehebatur oratio noſtra, cum de Petro Nanni Præceptore clariſſimo mentione facta, ita illius meritorum, nominis, ſtudiorum, amoris officiorum ab inexpectata, recentique morte ſubreptorum memoria auditorum omnium mentem acerbo dolore impedivit, ut quas lacrymas in nobis loci gravitas, animique conſtantia refrænare debebat, cum aliquorum in oculis ſuſpenſas, aliquorum per genas effuſas videremus, nos quoque in univerſa illa, & juſtiſſima commiſeratione animi motus cohibere non potuimus, orationiſque noſtræ curſu interrupto inter ſuſpiria, & fletus populi ab hoc graviſſimo, ampliſſimoque honoris, & dignitatis loco diſceſſimus. Ex eo autem tempore ita amplitudo promeritorum veſtrorum occupavit mentem, conſcientiamque pupugit, ut ab illa admonitus ſero nimis cognoverim in agendarum gratiarum ratione, & mihi, & vobis defeciſſe. Quamobrem cum Præfectorum ſtudiis de renovanda a nobis anatome voluntas ſignificata eſt,*

*cogi-*

*cogitare cœpimus quanam ineunda via eſſet non modo ut commiſſum anatomicum munus expleremus, verum ut pro præteritis, præſentibuſque beneficiis gratum animum noſtrum in maxima hominum frequentia teſtificaremur. Veniebat in mentem Principum, Magiſtratuum, Senatorum majeſtas, auctoritas, præſentia, ſed quo orationis nervo pro dignitate dicendum eſſet non videbam. Verſabatur ante oculos Patrum, Doctorum, Civium benevolentia, virtus, amor, ſed verebar ne laudatio, quæ de his finem nullum habere poteſt, animorum offenderet moderationem. Circumſtabant mihi ſcholarium ſtudium, adoleſcentium deſiderium, populi frequentia, ſed futili, & vacua quadam commendatione non bene illorum utilitati conſultum fore ducebam. Hinc conſtitui hodierna die laudes omnium prætereundo omnibus, & grates agere, & pro omnium deſiderio referre. Quod quidem me præſtiturum eſſe confido ſi non oratorio (non enim id tantum poſſumus) ſed ſcholaſtico more florentiſſimæ juventutis iſtius animum præceptis, & monitis imbuemus, atque eas vias indicemus, quibus ad perfectam anatomicam facultatem tum in libris legendis, cum in ſcriptis conficiendis perveniri poſſe arbitramur. Sic gratias a nobis relatas habebunt Principes Eminentiſſimi, qui non fluentem, & fervidam orationem, ſed amplificationem ſtudiorum deſiderant. Habebunt Magiſtratus, Senatores, & Præfecti, qui Civitatis noſtræ gloriam in ſtudiis poſitam omnibus viribus confirmare contendunt. Habebunt Patres, &*

*Cives, quorum omnis ſollicitudo eſt ut perpetuum publicæ utilitatis ſtudium ſuſtineatur. Habebunt adoleſcentes iſti, qui optimas quaſque ſcientias, & litteras in ſuccum, & ſanguinem ſuum convertere poſtulant. Habebiſne vero tu Deus bone, Deus ſapiens, Deus omnipotens, qui Rector, & Dux cogitationum mearum, laborum, ſtudiorum tantis me undique circumligaſti beneficiis, ut neque majora peti, neque graviora expectari, neque cumulatiora impetrari poſſe viderentur? Habebis tu quoque; nam ſi juſtitiæ leges impleri, grateſque referri poſſunt modo accepta munera in aliis collocemus ita, ut magis inde primi benefacientis gloria amplificetur, vidiſti tu jam me non alio animo anatomicam ſuſcepiſſe provinciam, neque alio conſilio hodierna die locum hunc conſcendiſſe niſi ut adoleſcentibus iſtis ea deferendo, quæ tua ſunt, debitam tibi omnes habeant laudationem, tibi tribuant ornamentum, tibi gloriam comparent. Quod etſi pro immortali dignitate tua nihil eſt, pro virium tamen noſtrarum infirmitate eſt aliquid. Sed jam mare iſtud ingredi oportet, officiumque perſolvere, qua in re cum tu, & voluntatem & facultatem ſuppetas pleniſſimis velis portum conſequi non dubitamus.*

*Stare animum in humano corpore Rectorem, & Dominatorem cogitationum, & talem habere vim inſitam ad ſciendum, talem promptitudinem ad inveniendum, ut quanto bruta ſenſu vel motu anteſtant hominibus, tanto illis homines perfecto rationis lumine antecellant, extra omnem dubitationem*

*eſt po-*

*eſt poſitum. Hinc primum Duce iſto calcaria admovente cœperunt gentes artes habere miniſtras utilitatum ſuarum, & profunda meditatione ſcientias perſequendo de naturalium rerum cauſſis, effectibuſque philoſophari. Verum forte nunquam adoleviſſet virtus, & rudis in incunabulis vagiret adhuc, niſi de aliorum ſtudiorum, & meditationum notionibus habendis, habitiſque conferendis prudentes homines cogitaviſſent; propterea Memphites primi verborum, rerumque ſymbola in corticibus, in foliis, in tabulis ſtylo ſignatis miſerunt ad exteros, & communicarunt cum remotis. Phenices inde litteras Atticas exararunt, Hebraicas Moyſes, Iſis Ægyptias, Abraaham Caldaicas, Nicoſtrata Latinas, ſicque artium, ſcientiarumque inter populos facta eſt quaſi colligatio, & communio, quæ tum majorem amplificationem obtinuit, cum vel Joannes Guttembergus, vel Fauſtus artem imprimendi, & typis committendi libros invenit. Eo autem tempore non omnium ſcripta publici juris facta ſunt, non exſucci libelli ad opportunitatem accommodati, non commentaria ad loquacitatem compoſita, ſed ea tantum, quæ longo ætatum experimento, & congregatorum prudentum hominum conſilio virtutis, ſapientiæque plena, & gravia viſa ſunt. Ex quo jam intelligere vos arbitror quantum dignitatis inſit in antiquorum libris, quantum doctrinæ, quantum utilitatis in illis concludatur, & quo denique venerationis loco, atque laudis eos apud vos eſſe conveniat. Revera ſi & Parentibus, & Præceptoribus*


*ribus*

*ribus ampliſſimus honor, & perpetua veneratio eſt debita, quam juſte colendi erunt majores noſtri, quam avide pervolutandi illorum libri a quibus primum lac doctrinarum profluxit, quique nullo Duce, & praeeunte tantis laboribus viam nobis aperuerunt, atque in ea ſternenda non levem tulerunt opem, ut prompte in litteris progrederemur. Quam facile Romanis eſt per apertos montes deſcendere, praerupta vero vaſtarum Alpium Juga aperire fuit laborioſum Annibali, & difficile. Quae cum dico non poſſum quo minus in ipſo orationis limine graviter doleam, acerbeque aliquibus iraſcar, qui vix facultatem noſtram delibant, vix ultra anatomica elementa progreſſi ſunt, quod veterum ſtomachantur libros, illorumque nares offendunt antiqua anatomicorum ſcripta, quae forte nunquam olfecerunt. Audivi, audivi auribus hiſce adoleſcentes aliquos aperte dicentes, non in hiſce nugis tempus terendum eſſe, & quidquid antiquitatem ſapit, tanquam ſubrancidum, & putidum eſſe reſecandum. At dicito amabo quid quod Malpighii, Bellini, Morgagni, Blaſii, Fantoni, Heiſteri, Lanciſii, Covvperi ſcripta tanta de veterum anatomicorum doctrina, & eruditione ſunt ſparſa? Ergo ne illi imperiti, vos gnari, illi rudes, vos docti, illi inſcientes, vos prudentes, illi inexperti, vos exercitati eſtis dicendi? Quid quod per tantas aetates, & ſaecula majores noſtri de anatomica Republica benemeriti magno in pretio, & honore ſunt habiti? Quid quod multi adhuc ſapienter quidem praedicant verum decus,*

cus,

*cus, veramque gloriam eſſe in antiquorum virtute collocatam? Non Artaxerſes, non Ptolomeus, non Macedo, non Athenienſes ambitione tantum ducti de naturalibus rebus ſcriptores aureis coronis ornarunt, & apud ipſos claves urbis depoſuerunt, neque monumenta iſta, & ſimulacra ad ornamentum Theatri hujus a Senatu ſunt poſita, ſed ut anatomicorum illorum memoria publica exiſtimatione ſignata immortalitati mandaretur. Talium ergo virorum ſcripta quaſi leves cantiunculæ noſtris de manibus excident, & per vicos, & per plateas chachinis, & ſibilo vituperabuntur ii, qui in tantarum ætatum, tantorumque virorum commendatione vixerunt? Oh iniquitatem non ferendam: oh inſipientiam incredibilem. Mentem veſtram adoleſcentes optimi ab hac præjudicata opinione liberate, neque ab Ariſtotele, a Galeno, ab Avicenna, ab Hippocrate, ab Eraſiſtrato de naturalibus, & anatomicis rebus differentibus oculos removete, & ſi quis eſſet, qui veterum librorum lectionem ad nullum uſum inſtitutam, quin immo nocuam eſſe contenderet, conculcetur tanquam ſemen malum, & quaſi pernicioſa zizania e campo veſtro eradicetur. Quid caput quatitis? quid ſubridetis? Numquid putatis nihil eſſe in veterum anatomicorum libris, quod veſtros poſſit animos doctrina imbuere? Nullas niſi de calido, & frigido ſupervacaneas diſputationes? Nulla rerum inventa, atque noſtris omnia deberi temporibus & ſtudiis? Immo vero plura, ne dicam omnia, ab antiquitate ſunt repetenda. Papillarum renum ſtructura*

*cuinam debetur niſi Berengario? Canalicularem teſtium fabricam nonne ad verbum deſcribit Theophilus? Ductus thoracicus Euſtachio eſt cognitus. De tunica arachnoidea mentionem facit Varolius. Salomon, & Albertus valvulas hic, & illic venis interpoſitas notant. Ariſtotelem legite, Ruphum Epheſium conſulite: de tuba Euſtachiana primus, de tubis Fallopianis alter non brevem habet ſermonem. Mitto ſtructuram cordis heliceam Veſalio cognitam, nihil de Empedocle, & Celſo auris labyrinthum ſignantibus, nihil de tympano illiuſque tunica, de valvulis cordis, de veſiculis ſeminalibus ab Hippocrate commemoratis. Nihil de vaſis chiliferis ab Eraſiſtrato inventis. Nimis longum eſſet de ſalivalibus ductibus diſſerere, quos Euphilus, Eudemus, & Marinus invenerunt, de capſula venæ portæ a VVallæo relata, de lymphaticis a Schneidero obſervatis, de circulo ſanguinis in pulmonibus a Servieto animadverſo. Quæ omnia niſi a fontibus, auctoribuſque ſuis velitis educere, haurire poteſtis facile ab artis noſtræ Principi Joanne Baptiſta Morgagnio, in cujus epiſtolaribus libris, aureiſque adverſariis Anatomicorum omnium inventa profunda eruditione ſignata, illuſtrata, & quaſi dicerem eviſcerata cognoſcimus. Fateor quod plura, eaque maxima, & præteriti, & præſentis ſæculi anatomicis debemus, ſed cum hos ſumma laude digniſſimos judico, veteres non aſpernendos eſſe contendo; quin immo nemo unquam in noſtra facultate eruditione, & neceſſaria doctrina pollebit niſi antiquorum libro-*

rum

*rum lectione mirifice delectetur. Itaque modernorum volumina non negligite, ſed primum veterum commentariis ſtudete. Quemadmodum enim in conſilio capiendo ætate, & auctoritate ſeniores accerſendos eſſe jubet prudentia, ita in vobis comparanda anatome venerandam ſenectutem conſulite, & hæreditatem a parentibus quærite. Hoc tamen non ita præponendum eſſe duco quaſi finem, & extremum laborum, graviora etiam expectant vos ut præcognoſcantur digniſſima. Ea quidem debetis veſtigia a majoribus noſtris facta imprimere, ſed nova etiam, & profundiſſima ſignare. Peragranda a vobis ſunt ſpatia frugifera, atque immenſa camporum naturæ, luſtrandi oculis ſunt omnes ceſpites, omnes ſubigendæ ſunt glebæ, omnes colligendæ ariſtæ, & ſi quæ ſunt ſemina adhuc latentia, neque ſuis e vaginulis emergentia riganda ſunt, ſunt mollienda, ſunt evolvenda, quoſque præbent fructus, poſteritati ſcriptis veſtris ſunt commendandi. Sed ne id præſtaretis velim, quod noſtris hiſce temporibus ambitioſe nimis ab adoleſcentibus factum videmus. Vix etenim ex his aliqui inventum, obſervationem, experimentum habent evulgandum, quod omnem curam, omnemque cogitationem in eo habent poſitam, ut purgatiſſimis quibus utebantur latini vocabulis ſcripta inſpergant, rotundiſque periodis colligent. Tum vero liber confectus eſt cujus titulus ad anatomicos, cujus medulla ad purgatæ linguæ ſcriptores eſt referenda. Quod etſi pulchrum quoddam eſt, non tamen ad inſtitutam rationem, non*

*ad*

*ad anatomicam facultatem amplificandam eſt accommodatum. Quærite, quærite fontes, non rivulos conſectamini; non cortici adhæreſcite, ſed in ſuccum, & in ſanguinem penetrate; curate verba, quæ aures mulceant, ſed magis curate res, quæ animum erigant, & nutriant. At enim, inquiet aliquis, patienter perlege librum typis commiſſum, præter vectæ ne ſunt oculos tuos anatomicæ animadverſiones? E memoria forte exciderunt inventa, quæ hic atque illic ſparſa naturæ hiſtoriam illuſtrant. Horum ſunt plura. Num quidnam reſtat? Ego tibi & litterariæ anatomicorum Reipublicæ gratulor. At cedo quæ ſunt ea quæ inveniſti, quæ in tam magno volumine concluſiſti? Forte ne quod pilus, qui putabatur lævis criſpatus eſt, & rugoſus? Forte quod lacteorum foramina non circularia ſunt ſed anguloſa? Forte quod veſicæ membrana in ſex alias tuniculas eſt diviſibilis? Forte quod fibra non recte progreditur, ſed aliquantulum in itinere deflectit? Forte, ſi Diis placet, quod arteriola non in binos, ſed in tres dividitur ramulos? Sunt ne iſthæc inventa? Oh quam levia ſunt quam exſucca; tamen non ſint contemnenda: verum ſi ſcribendi de iis igniculus vos pupugit, cur breviſſima, & ſuccoſa commentariola non conſcripſiſtis? Cur tantarum periodorum, figurarum, verborum tam bene Ciceronem olentium paucas res tanto numero comprehendiſtis? Aſſimilandi profecto eſtis iis qui ſatis amplam capſam ex argento & gemmis confingerent, octo vero, aut decem grana piperis in arca concluderent. Ita*

*inven-*

*inventis, experimentis & factis complendæ ſunt paginæ, ut plenitudo rerum quaſi verborum multitudinem exæquet; hinc tempus illud quod teritis ne concidat oratio, ne loquendi incondita ſit profluentia, ne latinis numeris non ſit perfecta, & concluſa, id omne in ſecando, in legendo, in inveniendo, in experiendo, in obſervando, in meditando eſt inſumendum. Scripſere Malpighius, Steno, Borellus, VVilliſius, Viuſſenius, aliique non barbare, ſed forte illorum libris Quinctiliani, Livii, Nepopotis umbræ non aſſiderunt, ita tamen inventis, & rebus graves ſunt, & tumidi illorum libri, ut donec terrarum orbis volvetur per manus hominum ferrentur, & ſumma cum utilitate volutabuntur. Hos quidem imitemini, & ſint illorum volumina propoſita vobis tanquam exemplar, & ſignum. Quod ſi ab ineunte ætate rectam dicendi, ſcribendique rationem vobiſmet comparatam habuiſtis, vel ſi per otium, & per ingenium comparare licet citiſſime puritati ſermonis incumbite, & in ſcriptis veſtris clariſſimum lumen latinitatis eluceat, ſed ita ut hoc rebus ſit ornamento, non vero ornamentum res ipſas conſtituat. Sed jam audio dicentes aliquos exhauſtam a majoribus noſtris omnem anatomicam fuiſſe provinciam, vixque aliud ad inveniendum reſtare. Quid itaque, ajunt, agendum eſt nobis niſi quæ ædificare non poſſumus, purgate ſaltem exornemus, vel ſi id non placet concedas oportet, ut cæcutientis antiquitatis, modernorumque fallacias excutiendo Judices agentes in criticorum ſubſeliis ſedeamus. Dii*

*melio-*

*meliora: quam immenſum, quam ſcopuloſum mare ingredi tentatis. Eſtis ne inſtructi iis armis, quæ ad tam grave opus patrandum ſunt neceſſaria? Non ſatis eſt audiviſſe de magiſtris jecur eſt glanduloſum, nervi ducunt ſpiritus, chilus ingreditur lactea. Non ſatis proœmia librorum legiſſe, & in triviis, & compitis diſputaſſe. Non ſatis terque, quaterque corpora mortuorum incidiſſe, & viſcerum poſitum cognoviſſe. Experimentum a Gliſſonio inſtitutum eſt fallax: at notaſtis ne recte loca, tempora, modum, artes, circumſtantias? Deſcriptio ſplenis a Diemerbroechio aſſignata non eſt ad naturæ leges accommodata: at quæſiiſtis in piſcibus, in inſectis, in avibus, in quadrupedibus? Argumenta Pitcarnii, Borelli, Bellini nutant: at Metaphyſicam, Geometriam, Chimicam, Philoſophiam omnem caletis ne optime? Interpretationes Hippocratis, Dioniſii, Couvperi ſunt adulterinæ: at quomodo eſtis Græcorum, Gallicorum, Anglicorum idiomatum periti? Quam tu nobis Geometriam, quos Græcos, quos piſces, quas nugas nominas? Nunquam nos ex manibus, ex oculis, ex ſinu depoſuimus Bibliothecam anatomicam, in qua una auctorum omnium libros, & ingenia collecta eſſe cognovimus. Ad judicium ferendum non hoc tibi ſatis videtur? Facultatis noſtræ non ne aras tenemus? Peream, ſi veſtibulum tenuiſtis. Oportet, ut facta factis comparetis, ut diuturno experimento per veſtros ſenſus rerum veritatem ex naturæ fontibus hauriatis, ut pene dixerim inter cadavera, & in*

*ſepul-*

*ſepulchris conſeneſcatis, ut res viſas, & animadverſas cum Senioribus, & Magiſtris communicetis ne in graviſſimos errores rapiamini. Multa de Philoſophicis, multa de Medicis, multa de Mathematicis, omnia de Anatomicis libris, & rebus cognoſcenda ſunt ab illo, qui in hac facultate critici nomen obtinere velit, & veram anatomicorum ſedem occupare. Sed concedo in anatomicis rebus exercitati, in libris verſati, in eruditione periti, in litteris omnibus a pueritia jam eſtis dediti. Scribite ſi lubet; in ſcriptis veſtris aliena caſtigate, excutite, condemnate. Quomodo cohibere poteritis ſanguinem illum, qui ebulliendo intra venarum anguſtos limites vix coercetur? Vereor ne legitimæ cenſuræ modum, & poteſtatem prætergrediamini. Sæpe fervens ætas impetum excitat, & ſtylum exacuens ſcriptorum nomina ad cædem deſignat. Hem miſera quorumdam litteratorum hominum conditio. Hem cæcitas non ferenda. Vix ſignatur pagina, vix linea ducitur, quod hæc quaſi forti propugnaculo contumelia munitur. Undique injuriæ, undique probra, undique morſus, undique maledicta. Nebulonum, ignavorum, perditorum, ſtultorum, fraudulentorum, & ſi quæ ſunt pejora vocabula ab invidia, & perditione inventa colliguntur, atque his, quaſi facetis ſalibus, libri criticorum quorundam inſperguntur. Non eſt hæc via, quæ ad gloriam ducit, non quæ ad veritatem, non quæ ad virtutem. Irridentur merito ab inſipientibus, contemnuntur a doctis, ab omnibus ejiciuntur, & maledictio*

*Domini ad tergus inſtat, & inſequitur, quoniam qui acuta nudis remiſcent manibus arma læduntur ſæpe, & proprio ſanguine inficiuntur. Nolite itaque adoleſcentes optimi ſcripta veſtra unquam amaro felle reſpergere, & aliena peccata peccato veſtro corrigere. Quod ſi in libros nimiam ſeveritatem, & acerbitatem olentes incideritis ne vel tantillum quidem illos pervolutetis rogo, obteſtorque, nam ſi forte ſemel aliorum exemplo animum veſtrum nigra hac pice imbuatis periculum eſt ne color tenax ad extremam uſque ſenectutem perduret. Quod cum de aliorum ſcriptis dico, intellectum etiam velim de quibuſdam noſtris, in quibus etſi veritas eminet, nimius tamen juvenilis ardor relucet, & in quibus, ut honeſtum hominem decet, aperte fateor mihi met ipſi placere non poſſe. Ergo cum oportet ſcribite, anatomicam hiſtoriam illuſtrate, ab injuriis ſcriptorum vindicate, de alieno judicio judicate, ſed ſit modus in rebus, ſit modeſtia in ſermone, ſit gravitas in ſententiis, ſit honeſtas in moribus. Video quid objicitis. Sedebamus quieſcentes neque litterariis inimicitiis clareſcere tentabamus, cum ſeditioſi, & turbulenti homines in nos irruperunt, ſcripta, & res noſtras diripuerunt, aculeis pupugerunt, maledicta, probra, contumelias inuſſerunt. Obtorpentes itaque, & tardi nomini noſtro non conſulemus, nec reſpondebimus ſtulto juxta ſtultitiam ſuam? Ita ne vero? Afferte afferte arma, Dux ero vobis in prælio. Pugnandum eſt, ulciſcendum, vincendum. Conficiendi ſunt hoſtes, atque armis ſuis configendi.*

*di. Non invidia magis, & rabie ſuffundi poſſunt adverſarii noſtri, quam cum nos a ſe ipſis diſſimiles eſſe cognoſcunt, & ſcripta ſua cum ſibilo, & irriſione, reſponſiones vero noſtras cum plauſu, & laude ab omnibus ſentiunt acceptas; hinc illorum maledicto veſtra benevolentia reſpondeat, contumeliæ laus, deſpicientiæ honor, injuriæ modeſtia, ſeveritati lenitas. Scripta veſtra defendat integritas, dignitas, honeſtas, ſapientia cum morum legibus conjuncta. Illi ab iniquis amentur, vos a bonis, illi acriter diſſerant, vos leniter, illi ſubdoli, vos aperti, illi perturbati, vos compoſiti, illi falſa, vos vera. Hæc tuta ultionis via eſt, & in hac pro re nata nominis veſtri reſtauratio, & amplificatio eſt poſita. Iis tamen inſtructos oportet eſſe armis, quæ antiquorum librorum lectio miniſtrat, iis viribus, quæ longæ ſtudiorum exercitationi ſunt inſitæ, iis opibus, quas virtus militibus ſuis diſtribuit.*

*Itaque erigite vos, fortique animo adeſtote adoleſcentes optimi, vel qui in hac Civitate nati ſcientiarum deſiderium una cum lacte ſuxiſtis, vel qui ab exteris, remotiſque terris ad hanc noſtram quaſi ad ſtudiorum veſtrorum educatricem, ad nominis veſtri propagatricem, ad bonorum, fortunarumque veſtrarum procreatricem veniſtis. Incumbite in litteras, in virtutem incumbite, in anatomica ſtudia incumbite. Adhuc adhuc vagantur per loca iſta Arantii, & Varolii, circumſtant nobis adhuc Malpighii, & Sbaraleæ, adhuc Valſalvæ vox per noſtras adhuc perſonat aures, & licet viros iſtos immorta-*

*litate digniſſimos miſera humanitatis conditio, acerbumque fatum rapuerit, vivunt tamen illi in ſcriptis, in ſimulacris, in cathedris, in memoria hominum vivunt, illorumque induſtriam, diligentiam, honeſtatem, ſapientiam in viris hiſce, qui nos circumſident quaſi recollectam, & renovatam habetis. Tales habetis Magiſtros, quorum alios clariores Academiæ non modo deſiderant, ſed etiam præmiis, & honoribus ad ſe ipſas trahere tentant, quorum aliorum nomina conſtanti fama, atque omnium ſermone ultra montes celebrantur, quorum alios, illuſtriores cœtus, ſocios dignitatum, conſortes laborum, adjutores habent ſtudiorum. Neque audiendi ſunt circumforanei quidam clamatores, qui tumultuoſi, & irrequieti Philoſophiam depulſam, Medicinam everſam, Anatomen profligatam, jacentes litteras miſerentur, & prædicant. Non jacent, non jacent litteræ, neque unquam jacebunt Præſidibus, & gubernantibus vobis Hieronyme, & Proſpere Cardinales ampliſſimi. Ab uno ſiquidem veſtrum Civitas hæc quaſi a defenſore, & duce auxilium quærit, & vires; ab alio ſcientiarum, ſtudiorumque incrementum tanquam mater a filio debito ſibi jure depoſcit; ab utriſque vero nominis ſui glorioſiſſimam amplificationem expectat. Sed quid expectat? jam habet: habet in ſollicitudine, qua ſtudia promovetis, habet in clementia, qua unumquemque noſtrum reſpicitis, habet in amore, quo litteras quaſque, & ſcientias excitatis, habet in vigilantia, qua jura, legeſque noſtras defenditis,*

*habet*

*habet in moribus, in animis, in actionibus, in ſermonibus, in exemplo, in vobis omnibus habet omnia, & complectitur. A te vero Illuſtriſſime Prolegate quid expectare, quid ſperare non poteſt litteratorum hominum cœtus, a te inquam, in cujus animo quaſi per hæreditatem a majoribus tuis acceptus ſtudiorum amor dominatur, & regnat? Non in occulto latet fervor ſtudiorum tuorum quem animi moderatio tui detrahere nobis tentat. Aperte relucet in facie tua, & in operibus virtutis ſplendor, atque ſcientiarum, hinc vel nobiſcum degas, vel trahant te alio dignitates debitæ, & juſtæ, & ſibi, & ſtudiis ſuis te ducem Urbs iſta, & defenſorem merito pollicetur.*

*Quod ſi ad te, Ampliſſime Signifer oculos, mentemque convertat Civitas hæc noſtra nihil habet quod petere, nihil quod poſſit deſiderare, omnis enim tua ſollicitudo, & cura eſt ut litteratorum deſiderium expleas, ut ad virtutem excites, ut ad dignitates promoveas, atque inter innumeras gentes beneficiis tuis perſtrictas, ille ego publicum omnibus tribuere poſſum benevolentiæ tuæ teſtimonium. Ut cathedram iſtam conſcenderem ipſe impulit, ut in hæc ſtudia incumberem coegit ipſe, ab ipſo inſignia iſta honoris, monimenta, præmia, & quid quid habeo quaſi a perenni fonte profluxit; illudque unice reſtat ut imbecillitatis meæ oblitus etiam in poſterum mihi quaſi filio conſulas, & proſpicias.*

*Vos vero antiquiſſimi huius Archigymnaſii, & loci Cuſtodes, vos bonarum artium, litterarumque defenſo-*

*fenſores, vos, dico, Excelſi Conſules, vos publici Conſilii Rectores graviſſimi, ſtudiorumque Præfecti vigilantiſſimi florentiſſimam hanc juventutem in virtute glorioſam auctoritate confirmate, præmiis erigite, honoribus illuſtrate. Scitote quod Civitas iſta bonarum artium omnium procreatrix quædam, & quaſi parens virtutis ſuæ ad extremas mundi oras ita pertulit famam, ut conſentientibus omnibus, Studiorum Matris nomen obtinuerit, utque in illa, ſapientia quaſi in arce circumvallata conſederit. Quamobrem qui e tranſalpinis ad hanc noſtram veniunt Regionem non Mœnibus, non Turribus, non Simulacris, non Tabulis, non Ædificiis, non Porticu delectantur, ſed primum loca iſta tanquam Diis ſacra inviſunt, præclarorum monumenta virorum percontantur, & quærunt, Patrumque iſtorum qui mihi circumſtant incredibili virtute excitati illos amplectuntur, oſculantur, venerantur, proſequuntur, atque in illorum neceſſitudine, & familiaritate gloriantur. Mementote quod Patria hæc veſtra non ut olim conſcribit exercitus, non ſedentes in equis, aut in quadrigis triumphantes Cives expectat, non exercitatione, ludoque campeſtri recaleſcentes e mœnibus reſpicit milites, non in victos, & ſubactos Reges animi magnitudinem exercet, ſed quaſi vidua orbata tutoribus ad vos ſupplices manus tendit, & cum vos deprecatur, & obſecrat, omnem in vobis collocat ſpem, & tota tota confidit in ſtudiis noſtris. Itaque litteratorum ſervate ordinem, & ſomniculoſæ ignaviæ, quæ nos undique premere*

*ten-*

*tentat extorquete minacem ſicam de manibus, nam ſi perſcrutabiminor penitus naturam, rationemque officii noſtri jam nihil præter ſpem, nihil præter laudem, nihil præter gloriam, & decus reperietis. Nolim tamen putetis me aut de me ipſo nimis alte, & ambitioſe ſentire, aut de vigilantia P. C., & benevolentia veſtra timere, nam quinam hominum ignorare poteſt quomodo veſtris humeris innixam totius Civitatis gloriam in litteris poſitam fortiter graviter, & beneficentiſſime ſuſtineatis? Quod vero ad me attinet ſentio quam parum ingenio, & ſtudiis valeo, etſi voluntate, & deſiderio neminem habeo ſuperiorem; hinc traxit me ad dicendum Archigymnaſii hujuſce nomen omnibus viribus ſuſtinendum, actio hæc anatomica omni diligentia, & ſedulitate confirmanda, adoleſcentium iſtorum voluntas, & ad hæc ſtudia propenſio omnibus nervis promovenda, & denique amor in Patriam quo ita inflammamur, ut ſemper vereamur ne ignavia removere illam, & dejicere tentet de ſua in litteris veteri poſſeſſione. Quin immo ita in oculis meis, & in corde eſt poſita anatomicæ præſertim facultatis dignitas, ut timens, & jure timens ne virium noſtrarum imbecillitas gravitatem rerum iſtarum ſuſtinere valeat, eam quam a beneficentia veſtra anatomicam accepimus dignitatem in manibus veſtris deponimus, libentique animo hodierna die a ſemel, iterumque ſuſcepto publico anatomici munere nos abdicantes aliis doctrinæ copia inſtructioribus opus iſtud graviſſimum exædificandum, ad ſummumque perducen-*

*cendum committimus. Quod quidem non facimus quaſi nos laborum tædeat, & turpis deſidiæ in portum confugere deſideremus, ſed tum quod laborioſi, etſi non multi, fatigatum tergus occuparunt anni, vireſque oppreſsæ jam ceciderunt, tum quod aliquorum ſalus, & vita nobis commiſſa aliam ſuſcipiendam eſſe provinciam, atque alia proſequenda ſtudia declarant. Quod tamen opus cum me jam dimiſſurum eſſe aperte dico, non id dico quaſi quod omnino removere oculos, & me totum ab hac facultate avertere ſit animus. Docebo, monebo, inſtigabo, excitabo, efficiam quæcumque potero, & conabor etiam, quæ non potero. Me anatomicæ dignitatis defenſorem, me ſocium vigiliarum, me participem ſtudiorum, me comitem laborum eo uſque habebitis dum mors noſtra ſecum rapiet opera, conatus, vitam, & nomen. Immo vero poſtquam per mortem naturæ legibus ſatisfactum erit a nobis, extinctum jam corpus iſtud, & plane inutile ſit vobis, illa eadem in tabula omnibus ſit vobis ſpectaculo, ſit deſiderii noſtri, gratique animi publicum teſtimonium, ſit ſtudiorum veſtrorum, & anatomicæ facultatis inſtrumentum, atque utinam ſaltem id defunctus poſsem, quod vivens adhuc non potui. Deus omnipotens, æterna veritas teſtis eſt voluntatis noſtræ, eſt cordis ſcrutator, neque enim ad hunc locum quaſi ad oratorias inſidias perduxi vos, ſive ut mihi majorem veſtrum benevolentiam conciliarem, ſive ut grato animo, verbiſque noſtris fidem adjungerem, ſive ut honores, & præmia Cumulatoria quaſi*

*de ma-*

*de manibus extorquerem, nam in frequentia hac, & ſilentio majus benevolentiæ veſtræ, quæ ſumma eſt, teſtimonium deſiderari non poteſt, & pluſquam benigne in nos actum eſt a beneficentia, & liberalitate Senatus; filiis vero noſtris ſatis amplum patrimonium relinquimus ſi charitatis in patriam, amoris in ſtudia, honeſtatis in omnes rectiſſimum deſiderium relinquamus. Quod vero attinet ad fidem verbis noſtris habendam re ipſa tentare juvat num verba tantum ex prærupta orationis unda profluant, num ex memoris, & grati animi deſiderio. Experiendum, decernendum, ſtatuendum, imperandum quid pro vobis a me ſit agendum; cognoſcent vero tum omnes quam alacri, promptoque animo mandatis veſtris obſequar, & pro iis quæ mihi a vobis erunt impoſita laboribus, vigiliis, & ſaluti etiam non parcam. Revera illi ne forte peperci, cum ut de bono publico ageremus uno jam ab hinc anno graviſſimam ægritudinem ſubivimus, in morbos incidimus, cum morte pugnavimus, & jam prope fuit ut extremam diem clauderemus? Tum vero cum morbus graviſſime caput tenebat, atque cæterarum rerum memoria oblivione obruta, & obſcurata jacebat, quid tum agebamus niſi interruptis, ac morientibus pene vocibus gratam, & memorem erga Principes, erga vos, erga Senatum voluntatem ſignificare? Videbar inter vos verſari, vobiſcum colloqui, agere de bono publico, ſtudia commendare, ſaluti conſulere, beneficia commemorare, grates referre. Quod ſi per idem tempus, quo mente permotus ægrotabam animum*



*mum*

*mum vagantem, & exitum e corpore molientem refricabat memoria beneficiorum veſtrorum, ſi de republica tuenda, de ſtudiis promovendis, de profliganda inertia, de civibus, de amicis, de vobis, de patria, de omnium ſalute cogitabam; quid nunc putatis me fore facturum integræ ſanitati jam reſtitutum? Deum verum immortalem, & maximum, omnibus audientibus, iterum teſtamur, omnem nos operam, omne ſtudium, induſtriam omnem in ſcientiis, in litteris, in artibus, neque minus in noſtri comparanda, quam in veſtri nominis gloria amplificanda inpoſterum fore collocaturos, & donec oſſa, & caro iſta inter ſe colligata manebunt, neque in medica adminiſtranda provincia diligentiam, neque in graviſſimis ſtudiorum laboribus patientiam, neque in propulſanda ab animis inertia conſilium, neque in artibus, ſcientiiſque promovendis induſtriam, neque in valetudine hominum tuenda firmam, & promptam voluntatem defuturam eſſe polliceor; quæ omnia ita Deo juvante præſtituros eße confidimus, ut neque Civitas hæc noſtra talem habere Civem non popularem alicujus loci indignata erubeſcat, neque nos magnificentiſſima Principum clementia, Senatus liberalitate, Patrum benevolentia, Populi deſiderio, Patriæ amore indigni eſſe videamur. Dicebam.*

PE-

# *PETRO PAULLO MOLINELLI*

## JOSEPH POZZI JACOBI FILIUS S. P. D.

*INter peſſimas litteratorum hominum occupationes non extremum mihi videtur tenere locum illa de conſcribendis epiſtolis, quam licet juſte nobis neceſſariam fecerimus ſive ut amicitias inſtituamus, confirmemuſve cum exteris, ſive ut de rebus noſtris cum remotis communicemus, ineptius tamen nihil ſuſcipimus, quam cum epiſtolare facimus negotiolum, ut aliquid aut gloriæ, aut otio concedamus. Hinc poſt tuam in Galliam profectionem decreveram jam, Molinelle ornatiſſime, nullo modo ad te ſcribere, tum quod nos a teneris, ut Græci dicunt, unguiculis ita fuimus familiaritatis vinculo colligati, ut nulla inter nos de conglutinanda per litteras amicitia videretur neceſſitas, tum quod a graviſſimis ſtudiis tuis, ne momento quidem temporis, avertere te nolebam, tum poſtremo quod nihil communicandum habebam, quod tui poſſet eſſe pabulum ingenii, atque doctrinæ. Accedebat quod non modo a doctiſſimis Viris Marco Antonio Laurentio, & Hieronymo Dondutio, (qui ut ſapientes ſunt, ſic tecum neceſſitudine conjunguntur,) ſed a quocunque hominum ordine ex Gallia Bononiam veniente de ſingulari diligentia tua, eruditione, virtute ſuaviſſimum nobis nuncium afferebatur; quamobrem niſi ad te miſiſſem litteras debitis laudibus, & gratulationibus pleniſſimas, quas animi moderatio tui vix*

*pati poſset, non videbam quid ad te ſcribendum eſſet præterea. Reapſe ſiluiſsem adhuc, & tuam expectaſſem in Italiam reverſionem, niſi me pupugiſſent, atque a diuturno excitaſſent ſilentio irrequieti quidam homines, & difficiles, qui quod non ſcribo mirantur, objurgant, accuſant, & non minus de meo erga te officio, quam de tua in me benevolentia non leviter dubitare incipiunt; hinc cum non minus pacificis, quam ſeditioſis hominibus ſerviendum ſit ad te ſcribo, & tecum abſens per litteras id ago, quod verbis præſens agere conſtitueram. Ago autem de quibuſdam obſervatiunculis, atque animadverſionibus, quas peperit neceſſitas impoſita a publico Anatomici munere hoc anno commiſſo mihi, & confecto. Ne autem longius id faciam, quod tum ob tenuitatem rerum, cum vel etiam propter obſcuritatem ſermonis vix eſſe faciendum judicabis, ad ea venio, quæ paulo ante dicenda propoſui.*

*Certum eſt naturam ita animalibus omnibus conſuluiſſe, ut quidquid in corporibus eſt illorum vitæ bono, ſalutiſque commodo ſit conſtitutum; hinc cum audio aliquos, qui partes quaſdam volunt ad ornamentum tantum datas, in iis vero nihil ſupra conſiderant non poſſum quin putem iſtorum doctrinam parum firmamenti, & parum virium habere; neque enim exempli cauſſa, aut pili ad pulchritudinem conciliandam, aut ungues quaſi excrementum inane, & vacuum, ut magnus Hippocrates* (a) *voluit, digitis ſuperponuntur, ſed præterquamquod primi ab one-* 

*roſa*

(a) *Lib. de Carn. mihi pag.* 46.

*roſa pinguedine liberant caput, reliquiſque partibus, quibus affiguntur pro perſpiraculo ſunt; alteræ vero, ungues videlicet, & firmant, & muniunt, & ſcalpunt, & apprehendunt, peculiaris quidam in omnibus ſtructuræ ordo naturæ ſolertiam evincit, & manifeſtat. Quemadmodum enim plantæ, quæ e terra germinant ſuos non deſiderant canales per quos materia circuletur, & fluat ita in pilis a radice ad extremum trunci cavitas eſt, ut repetitis obſervationibus confirmavimus; quod licet Verhejenius vir optimus cognoſcere videatur* (a) *dubium tamen relinquit num velit radicem tantum pertuſam, ut judicat celebratiſſimus anatomicus Fantonus,* (b) *& cum ipſo oculati viri Leeuvvenhœk,*(c) *et Chirac,*(d) *num vero a radice ad apicem, ut veritati conſonum eſt, & in Erinaceo ſe vidiſſe teſtatur immortalis Malpighius.* (e) *Quod ſi aut aprorum, aut leporum, aut bovum pili vitro acutiſſimo luſtrentur, apparet manifeſte pilum ab uno extremo ad alterum non modo pertuſum eſſe, ſed etiam exteriori in ſuperficie ad modum cribri perforatum. Neque foramina, quæ in pilorum ambitu reperiuntur ſine lege, & ordine ſunt collocata, ſed præterquamquod majora ſunt verſus bulbum, minora circa truncum, minima verſus apicem, parallelum etiam videntur ſervare poſitum, & aperiri in areis factis a tenuiſſimis vaſis ſanguiferis inſtar retis pellucidi pilum ſuperſcandentibus;*

---

(a) *Tract. 4. lib. 1. cap. 2. pag. 209.* (b) *Diſſert. 2. Anat. corp. hum. p. 31.* (c) *Act. erud. 1683. p. 511.* (d) *Suppl. 11. Act. erud. tab. 8.* (e) *Bibl. Anat. Prali. p. 116.*

*tibus ; hinc quantum ſcabri apparent pili oculis microſcopio armatis tantum inuncti, & molles ſunt ob humorem perpetuo a notatis foraminibus ſecretum, qui eo majori in copia educitur, quo magis aut pili bulbus, aut radiculæ comprimuntur ; nam ſi ſetæ porcinæ recentem bulbum manibus comprimas, oculumque armatum vitro ad pili truncum admoveas, undique a foraminibus, præſertim circa bulbum, guttulas humoris viſciduli exprimi animadvertes, non diſſimili ratione ac dum diſtendis urinariam veſicam, vel pericardii capſulam glanduloſam interiores illius facies magis madere cognoſces ; ex quo intelligitur facile quid ſit, quod graviſſimo terrore perculſi homines non modo ſibi ipſis erectos ſentiant pilos, ſed vel etiam quod undique expreſſo ſudore oleaginoſa materia pilos conſpurcet, & inungat. Licet vero a clar. Bidloo* (a) *deſcribantur pili hirſuti, lanuginoſi, & Blancardus ſit ſequax, nunquam tamen in hominibus talem ſtructuram offendimus, ſed tantum in magnarum quarumdam erucarum viridium ſpecie, quæ bene piloſæ id habent ramoſi in pilis, quod habet truncus in arbore. Nodi vero qui ab eodem Bidloo* (b) *deſignantur in pilis non ſunt in omnibus, & quibus inſunt ultra naturæ fortaſſis inſtitutum ſunt poſiti, ut aperte docet Malpighius ;* (c) *cum enim, qui nobis unus videtur capillus ſit plurium cohæreſcentia filamentorum, & vaſculorum* (d) *qui*

(a) *Anat. corp. hum. tab.* 11. (b) *loc. cit.*

(c) *Op. Poſth. pag.* 115. *B.* 6. *An.*

(d) *Mang. the. Anat. lib.* 1. *cap.* 11. *pag.* 7.

*qui forte vel per intermedias fibrillas, ut nos putamus, uniuntur, vel per ſuccum aliquem ferruminantur, & cohæreſcunt, fit ut ſi vel laxentur fibræ, vel non recte ferruminans humor diſtribuatur, fit inquam, ut extrocedentia filamenta pilorum hic, atque illic quaſi nodi in canna turgeſcant, & inæqualem in pilo formam præſeferant, quod quidem neque inſolens eſt, neque aliis humani corporis partibus oſſibus præſertim, cartilaginibus, & etiam unguibus inconveniens. Vidimus in leproſis quibuſdam ungues nodoſas, & aſperas ex male diſtributa, & depravata nutritionis materia, quæ ſi vel vaginulas unguium erodat, vel ſubjectas, & arcuatas papillas exſicet, vel tendineam, cutaneamque expanſionem ad radicem poſitam lædat; nutat unguis, areſcit, moritur, & decidit. Miraberis fortaſſis, Molinelle mi, quod cum hæc dico, de expanſo tendine ad radicem unguium mentionem faciam, ſed mirari deſines quoties mecum cognoſces ungues non connecti quidem circa radicem ligamento, ut perperam volunt Galenus* (a) *Veſalius* (b) *Gliſſonius* (c) *Bartholinus* (d) *Mangetus*, (e) *aliique Anatomici magni nominis, ſed ſubnaſci a muſculorum tendinibus per extrema digitorum internodia diffuſis. Licet enim parallelæ ſint vaginulæ, & cutaneæ papillæ per vaginulas haſce unguium traducantur, & unguem faciant firmam, & ſolidam, tamen ſi exortum vaginularum ſpe-*

(a) *De Ad. Anat. lib. 3. p. 73. cap. 11.* (b) *lib. 1. cap. 34. p. 109.*
(c) *Cap. 7 par. 2.* (d) *lib. 4. cap. 1. pag. 558.*
(e) *The. Anat. pag. 7.*

*ſpectemus a ſubjectis muſculorum tendinibus repetere non dubitabimus; noverant id ſane jamdudum Deuſingius,* [a] *Schellamerus,* [b] *Picholominus,* [c] *Columbus etiam, Bartholinus, & Frankenav. Primus enim ait:* [d] Ungues tum a cute, tum a tendinibus muſculorum digitos extendentibus originem trahunt, quamquam tendines ſub unguibus uſque ad digitorum extremitates deferantur; hic enim poſt modum dilatantur. *Alter poſtquam docuit cutem extrinſecus unguibus circumnaſci addit:* [e] & caro ſubnaſcitur, vel potius tendines muſculorum ibi dilatati. *Frankenav denique, & ſæpe, & pluries monuit a tendinibus oriri ungues affirmans:* [f] cohæret tendini ad ultimum digitorum internodium percurrenti, & univerſo ungui ſubſtrato: Ita peculiari quaſi integumento ſenſibili admodum natura proſpexit &c: *& paulo infra de eadem tunica loquens ait:* quoniam talis nervoſa membrana muſculorum tendines digitos flectentium habet ſubjectos: *talium autem Auctorum verba libenter protuli, quoniam a plurimis amicis, quorum auctoritas, & ſcientia plurimum penes me valere debet, in dubium res iſta revocabatur; atque adeo utpote nulla auctoritate firmata, minimeque anatomicis obſervationibus reſpondens, tanquam futilis proſcribebatur. Quin immo cum ex iiſdem plerique, & in digitis maceratis,*

*& co-*

(a) *Inſt. Anat. p. 4. c. 1.* (b) *Par. 2. ult. p. prioris parag. 44.*
(c) *Prælec. Anat. lib. 2. cap. 5.* (d) *Lib. 2. Ad. Anat. cap. 15.*
(e) *Anat. Ref. lib. 4. cap. 1.* (f) *Bib. Anat. pag. 39.*

*& coctis, & recentibus oſtenderent mihi tendines ad internodium extremum habere finem, ungues vero in radice liberas, diſiunctaſque a revoluta cute, & cuticula quaſi per vaginulam firmari, & ſi quid producitur a tendine naturam mutare, & cutis ſtructuram acquirere; dubius ſtatim hæſi, & prope fuit, ut ſententiam mutarem; mutaviſſem autem niſi re iterum, ac melius ſpectata oriri a tendinibus parallelas unguium theculas ab arcuatis papillis hic, atque illic protuberantibus repletas videre viſus eſſem; nam perſpicue ſi avium unguiculas ſpectes, inferior præſertim tendo ultra internodium radicem attingens progreditur, & licet circa ipſam quid cutaneum æmuletur, tamen ad apicem unguis in talem vaginam extenditur, quæ ſi microſcopio luſtretur non diſſimilem ſubſtantiam ab illa tendinis ſervat, quod ipſum videri poteſt in coctis humanis digitis, ſub unguibus quorum licet innumera producantur vaſa ſanguifera, tegumentum tamen quod illico in conſpectum venit pellucidum nullo modo cuticulæ, aut cutis ſervat ſtructuram, & ordinem. Itaque arbitror tendines ipſos ſuperato extremo internodio uſque ad digiti apicem ſe ſe extendere, ibique aut revolutos, aut productos pro majori parte eam componere ſubſtantiam, & tunicam, quæ ſub digitis exporrigitur; hæc vero ad radicem uſque protenſam, & circumambientem thecam conſtituit, & perforatas format ipſius unguis vaginulas. Sed vereor ne ſi longius producamus ſermonem in ſupervacaneam quæſtionem de nomine incidamus. Ad aliud ergo*

*tranſitum facio, quod ſpeciem aliquam novitatis habet, quodque nobis cognoſcere datum eſt circa thymi ſtructuram, cujus excretorius ductus aut perperam quæritur, aut falſo a Munikio* [a] *deſcribitur; cum enim thymus ſit viſcus quoddam, quod in fœtu ſuum habere uſum videtur, non vero, aut ſaltem parum in adulto, cognoſcere volebam quid manifeſtaret ſtructura; unde primum quæſivi in thymis vitulinis, atque agninis num capax, & manifeſta cavitas eſſet in illius medio, ut deprehendiſſe ſe aſſerit Cl. Bartholinus,* [b] *num ad glandulas maxillares mitteret ductus in oris cavitate eructantes lacteum, aut lymphaticum humorem, ut Bellingerus* [c] *depingit, num vero alia ratione aut lympham, aut chylum, aut lac ſecerneret, & tranſportaret; ſed horum licet nihil certi invenerim, incidi tamen in aliquid nondum (quod ſciam) ab Anatomicis deſcriptum; quandoquidem ſi longa maceratione vitulinum thymum emollias, & cultro unum, aut alterum majorem lobum tunicis denudatum [in varios enim ut ſcis dividitur lobulos] perfores, albicans exit humor lacti conſimilis, ut præter Bartholinum,* [d] *Munikium,* [e] *alioſque affirmant illa duo Anatomicæ facultatis lumina Morgagnius* [f], *& Heiſterus.* [g] *Inde ſi per factam inciſuram poſt emunctum humorem immittas cannulam, & inſufles illico de veſicula, in veſiculam, de lobulo in lobulum permeat aer, cujus*

*tran-*

(a) *De re Anat. theſ.* 40. (b) *Anat. lib.* 2. *c.* 4. *p.* 348. (c) *Tract. de fœtu nutr. edit. an.* 1717. (d) *Anat. l.* 2. *c.* 4. *p.* 349. (e) *De re Anat. loc. cit.* (f) *Ad.* 5. *anim.* 13. *p.* 19. (g) *Compend. Anat. p.* 107.

*tranſitu, & vi celluloſa thymi ſtructura elegantiſſime prodit; quod ſi inciſuræ locus poſt inflationem ligetur filo, & aeri tumefactus thymus exſiccandus objiciatur, occurrunt intra cellulas rubella quædam ramentula, fibrillarum carnearum ſubſtantiam referentia, quæ hic, atque illic ſubtenſa aut firmitudinem, aut motum thymi cellulis conciliare videntur. Exſiccatos, & celluloſos thymi lobos oſtendi Beccario, & Voglio, qui ut in Anatomicis rebus clariſſimi, ſic noſtra [quæ illorum humanitas eſt] comiter excipiunt, & ab erroribus vindicant; utque primum manifeſtata nobis ſtructura hæc eſt Menghinus illico & Jachinus ex auditoribus meis adfuerunt, quos volui inpoſterum ut huic non ſolum, ſed aliis etiam obſervationibus intereſſent. Verum jam video quid objicis: longæ macerationi nullo modo fidendum eſt, cum hæc tenuem, & pulpoſam thymi ſtructuram queat ſolvere, & quaſi in fluxilem ſuccum, vel dicerem caſeoſum convertere, ea ratione qua aliis quoque viſceribus contingere videmus, nam ſi cerebrum diu maceratione ſolvatur ſecedit id omne quod glanduloſum eſt, ſolidioribus tantum in integrum relictis vaſculis; quin immo glanduloſi racemuli in talem convertuntur pultem, ut quid albicans, & ſuccoſum æmulari facile poſſint. De hoc ipſo, Molinelle mi, toties a graviſſimo Beccario, & acutiſſimo Galeatio noſtro dubitatum eſt, quoties hac de re cum iis communicavimus, ſed ſcrupulum exemit tum inſpectio Bovilli thymi, qui etſi compactus, & nullomodo ſuccoſus etiam nudis oculis membranoſus, & cellu-*

*laris videtur, tum eruptio lactei ſucci, qui in recentibus thymis, & nullomodo maceratis contingit, ut ſupra ex Morgagnio, aliiſque notavimus, tum vel denique [quod non extremo loco ponendum erat] aſſertio Planchii exercitatiſſimi, qui cum ex me de celluloſo hoc viſcere anno præterito intellexiſſet, reſcripſit, toties veſiculares ad modum apum favorum vidiſſe thymos, quoties hos anatomice ſpectandi etiam non maceratos data fuit illi facultas; fuit autem data ſæpiſſime. Ut tamen quamlibet ſubortam tollerem difficultatem longæ macerationi ſubjeci jecinora, adipoſas tuniculas, cerebra, & renes, atque ab iis emuncta molliori materia per factum foramen inſuflavi cannula, ſed nullo modo aer viam ſibi potuit invenire; quin immo ne in tunica adipoſa inflatæ ſunt cellulæ, non quod deeſſent, ſed quod pinguedinoſa materia ob macerationem ſolidior facta fortius cellulis ipſis inhærebat. Sic certior factus de thymi ſtructura conſtituo viſcus hocce pulmonem ſuccenturiatum appellare, ut pote ſervans cum pulmonarium veſicularum uſu aliquam ſimilitudinem. Quid enim eſt quod pulmonibus denegandum ſit auxilium hocce, & quaſi dicerem ſupplementum; cum quid habeant conſimile jecur in liene, cor in auriculis, inteſtina in appendicula, ne dicam cerebrum in cerebello, vel ſaltem in Lanciſianis,* [a] *ſive Fallopianis* (b) *nervorum gangliis? Sed quid horum mentionem facimus, & renunculos ſuccenturiatos pro pro-*

(a) *Diſſert. de ſtruct. & uſu gangl. pag.* 101. *in Morg. Ad.*
(b) *Obſ. Anat. mihi pag.* 87.

*probabiliori exemplo non ſpectamus? Revera ſi mentem ad hos convertas quid aliud videbuntur tibi niſi diverticula quædam, in quibus ſegregetur, ſubigatur aliquo modo, transferaturque urinoſum ſerum, quod forte nimis in renibus fœtuum abundaret, in venas emulgentes, ut ibi etiam ſanguis ad fluendum & aptior, & velocior reddatur. Conſidera adultorum veſicam, vide quid urinæ contineat, hinc ad trutinam revoca veſicam fœtuli, quæ vix ad continendas tres, quattuorve humoris uncias eſt apta. Fac ut unica urinæ dracma geſtationis tempore quotidie a fœtuum renibus ſecedat: an non ſpatio novem menſium congregabitur quantitas lotii in veſica humani fœtus ad tres accedens libras, cum neque allantoides, neque pſeudo allantoides ſit, in qua valeat exonerari, & duci? Quid ſi ſemiuncia, quid ſi uncia, & ultra urinæ ſepararetur a renibus, ut probabiliter poſtremis menſibus contingere debuiſſet? & licet in beſtiis ſint renes ſuccenturiati, neque ob allantoidem continentem urinam allata ratio valere poſſe videatur, tamen eundem uſum etiam ad bruta traducimus ſi aut quantitatem urinæ illorum, aut qualitatem ſpectemus, propter quas allantoides, atque veſica capaces non eſſent ad continendam urinoſam materiam. Provida ergo natura diverticula, hoc eſt renes ſuccenturiatos conſtruxit, qui id præſtarent quod ſupra dicebamus, & licet ad hoc per conjecturam probandum ſat eſſe poſſet memorare tibi filiolam a doctiſſimo* (a) *Fantono relatam, in qua ſuc-*

(a) *Anat. Diſſert.* 7. *pag.* 142.

*ſuccenturiati renunculi ſacculos membranoſos referebant, quo in caſu cum puella renum calculo laboraret, adeoque impedimentum eſſet ad perfectam ſecretionem habendam fortaſſis viam, & diverticulum auxerat natura in renunculis, tamen obſervatio alia, quam decem ab hinc annis mecum habuit clariſſ. Vir Bruſi rei noſtræ aliquod lumen afferre poſſe videtur. Habebamus ſectioni commiſſum cadaver meretricis hydrope pectoris confectæ. Hujus renunculi æquabant fere magnitudine veros renes, quod utprimum vidimus, & in ſcorto vidimus, ſuſpicio nata eſt aliquid uſus habere pro partibus generationis, ut magnus vir æternæ recordationis dignus Antonius Maria Valſalva ſuſpicari videbatur; ſed iis apertis inſignis inventa eſt cavitas flavo, ſalſoque ſero repleta, atque ita craſſo quemadmodum eſt urina, quæ licet tenuis ſit, tamen reſpectu habito ad cruoris ſerum ita eſt gravis, ut ſtet illi ut 37. ad 28. quemadmodum tu ipſe alias in vulneratis, & nullo modo febrientibus mecum notatum habuiſti. Cum ergo aliqua ratione concluſum habeam etiam aliquid urinæ in ipſis ſuccenturiatis ſecerni, & quaſi dicerem in promptuario deponi, ut inde ad emulgentes venas ſit tranſitus ad ſervandam & fluxilitatem ſanguini venoſo neceſſariam, & ad impediendam nimiam in renibus ſecretionem ne obruatur veſicula fœtus, cur non poſſumus de thymo quoque aliquid conſimile excogitare, ita ut illius uſus ſit, vel chylum a ductu thoracico receptum quaſi in diverticulo continere, ſubigere, & ad ſubclavias mittere ve-*

*nas,*

*nas, vel ad modum mamillæ ſecernere lac, & venis abſorbentibus dare? Revera ſi pulmones quieſcentes in fœtubus animadvertamus, ſi thymum in iiſdem tumentem videamus, ſi fibrillas forte carneas per thymi cellulas ſparſas ad examen revocemus, ſi multitudinem vaſorum ſanguiferorum a ſubclaviis, mediaſtinis, jugularibus, mammariis, & aliquando ab aortæ, & cavæ immediatis ramuſculis per thymum excurrentibus conſideremus, ſi vel denique experimentum Cowuperianum* (a) *præ oculis habeamus, quo ceram coloratam injicit per ductum thoracicum, & ad thymum tranſire videt, & ſpargi per ipſum, non poſſumus quin ita diſcurramus. Si pulmones in homine extra uterum poſito craßum ſubigunt ſanguinem, & ne in motu remoretur impediunt, cur naturæ id cordi non eſſe debet pulmonibus non agentibus hoc eſt in fœtu? Quid thymo accomodatius eſſe poteſt, quid opportunius? Neque enim aliud viſcus eſt, quod tanti operis ſupplere poſſit defectum, & licet placentifera vaſa tum multitudine, tum tenuitate hoc ipſum præſtare poſſent, tamen ſtatuendum primum videretur, num revera a matre ad fœtum circulantis ſanguinis communicatio eſſet reciproca, ut Cowperi,* (b) *& Vievſſenii* (c) *experimenta comprobant, & Meryus,* (d) *Morgagnius,* (e) *Heiſterus,* (f) *Rauboltius,* (g) *obſervationibus*

(a) *Anat. of. Hum. Bod. Tab.* 21. (b) *Act. erud. Lipſ.* 1699. *pag.* 53. (c) *Mang. Thea. Anat. tom.* 11. *p.* 139 (d) *Hiſ. Acad. Reg. an.* 1708. *p.* 43. (e) *Ad. Anat.* 4. *pag.* 82. (f) *Ad Comp. Anat. not.* 36. *pag.* 269. (g) *Hiſt. Acad. Reg.* 1719.

*bus confirmant, num vero ſanguinis nihil a genitrice ad fœtum tranſiret, ſed tantum humoris quantitas quaſi turbidum, & albicans lactis ſerum ab oſculis capillarium venarum exciperetur, ut notat non ſatis unquam laudatus Fantonus,* (a) *pluribuſque graviſſimis comprobat conjecturis, nam ſi forte hoc poſtremum contingeret nimis lente flueret humor etiam per placentifera vaſa, & majori ſubactione ab alio viſcere opus eſſet. Ut autem ab hac dubitatione nutantem animum liberarem dexterrimum, & amiciſſimum Proſectorem noſtrum Laurentium Bonazzolium rogavi etiam, atque etiam, ut in cane gravida, quod in animo habebam experimentum inſtitueret. Annuit perhumaniter, apertiſque gravidæ canis iliacis exterioribus, deplevit ſanguine vaſa, & jam tepente cadavere coloratum, calidumque fluidum per eoſdem iliacos canales injecit, ut ſic videremus, num primum fœtus vaſa ſanguine vacua eſſent, ut poſita communicatione videbatur neceſſitas, num vero injectum fluidum ex matre ad fœtum liberam ſibi viam inveniſſet; ſed horum nihil accidit; nam die altera cane ſecta inventi ſunt fœtus rubelli, & vaſa habentes obſcuro ſanguine repleta, & licet primum de injectionis ad fœtus tranſitu, nimio flagrans deſiderio, conclamaſſem; Galeatius tamen qui aderat, quique, ut accuratus, ad aſſerendum libere non eſt facilis, re melius animadverſa de ſanguine in vaſis fœtuum contento monitos, certioreſque nos reddidit; quamobrem cum adhuc in*

*obſcu-*

(a) *Anat. diſſ.* 10. *pag.* 220. *& ſeq.*

*obſcuro eſſem domi aliis in canibus injectionem mercurio tentavi tum Cowperi* (a) *methodo per arterias umbilicales, tum Vieuſſenii* (b) *per carotides, ſed neſcio quo fato mercurii remora ad uterum diligentiam noſtram eluſit. Ex quo licet nullam adhuc ſtatuam ſententiam de circulo materni ſanguinis ad fœtum, & contra, tamen non poſſum quin dubitem lentiſſime progredi quodcumque fluidum per vaſa placentæ, ſive multiplicationem diametrorum ſpectemus, ſive diſtantiam a corde, ſive ſpongioſam uteri naturam, ſive ſanguinis fluentis craſſitiem, proindeque opus habere nova ſubactione, & miſcella; hinc forte quaſi a mamilla ſecernitur a thymo humor chyloſus, & lactiferus, qui ab hoc viſcere elaboratus, ſecretuſque excipitur a ductu thoracico ut vult Charletonus,* (c) *cujus opinionem non ita enervat Henricus Baſſius, vir cæteroquin eruditiſſimus,* (d) *ut illi plane concedere debeamus datum eſſe thymum tantum ad depurandam, fluxilioremq. reddendam lympham, ut hæc ad ductum thoracicum properans, attenuet chylum, & ſubigat; nam ut plura mittamus, quæ ad robur fibrarum fœtus, & ad vim thymi ſpectare poſſent, utque in re noſtra ſtemus, humor qui in thymi cryptulis continetur eſt quidem fluxilis, ſed non ad ſeri limphæque naturam accedens, cum potius de lactis, chylive ſubſtantia participet. Ad ignem concreſcit, ſed non ita, ut in gelatinam faceſcat,*

 *vel*

(a) *Anat. of. the. Hum. Bodi. tab.* 54. (b) *The. Mang. loc. cit.*
(c) *Æcon. Anim.* (d) *Dec.* 1. *Obſer.* 1. *de glandulæ thymi uſu an.* 1731.

*vel ut coctum ovi albumen repræſentet, quod lymphæ proprium ſolet eſſe, ſed quaſi a lacte ſecedit ab ipſo materia quædam caſeoſa, quæ tum colore, cum odore, cum etiam ſapore lactis tenet naturam, & dulcedinem; quod ſemel, iterum, ac ſæpius a nobis experientia, & affuſione liquorum compertum eſse affirmamus. Num in thymi cellulis extent glandulæ humorem excernentes etſi obſervatione certa nondum exploratum habeam, conjectura tamen, & analogiſmo affirmare non dubito, quin immo etſi etiam ratione a nobis dicta, hoc eſt, ut mamilla, non ageret thymus, ſed ea qua vult Cowperus,* (a) *Bartholinus,* (b) *& Verhejenius,* (c) *recipiendo videlicet a ductu thoracico chyloſum liquorem, & bene ſubactum in cellulis mittendo ad ſubclavios ramuſculos, glandulas tamen in thymi cellulis admittere non vererer; nam quemadmodum natura non una, eademque via procedit ad unum, eundemque effectum obtinendum, ſic (ut opinor) ſubactionem vult chyli, aut lactis in thymo per fibras carneas, & per tunicas circumpoſitas thymi lobulis, & vel tentat fluxilitatem majorem per affuſum, ſecretumque humorem limpidum a glanduloſis utriculis in cellulis apertis. Tale artificium in veſiculis eſt ſeminalibus, ut notat Heiſterus,* (d) *eſt in cyſti fellea, ut viderunt Gaſpar Bartholinus,* (e) *Fantonus,* (f) *& Ruiſchius, eſtque in lienaribus cellulis, præſertim in quibus cum*

---

(a) *Tab.* 21. (b) *Anat. lib.* 2. *cap.* 4. *p.* 349. (c) *Lib.* 1. *Anat. tract.* 3. *cap.* 6. *p.* 160. (d) *Comp. Anat. p.* 85. (e) *In tract. de diaph.* (f) *Diſſ.* 6. *p.* 112.

*cum natura ſanguinis remoram velit, fluxilitati tamen reſpicit, atque ſubtiliationi, & licet cl.* Heiſterus (a) *lienares glandulas neget, tamen in vitulino liene ſpheroideas veſiculas auditoribus noſtris quattuor ab hinc annis oſtendimus, ut nullus dubitandi fuerit locus de glandularum veſicularium in liene exiſtentia a quibus compreſſis non paucæ limpidi humoris extillabant guttulæ. Sed hoc ipſum confirmatum ſperamus ab obſervationibus faciendis in fęmineo liene, qui grandis fere ut jecur aere tumefactus, exſiccanduſque ſervatur a diligentibus Sacenti, & Jachini, & nunc etiam in vivis eſt fęmina, quæ cum lienem tumentem, & ad pubem uſque extenſum gerat obſervationibus aliis poſt proximam mortem non levem miniſtrabit materiam. Quemadmodum autem in liene apparent aliquando tumentes folliculi, ita in pericardio vitulino præterito menſe nos vidimus tales racemoſas glandulas, ut neque omnes quærendæ ſint ad baſim cordis, ut vult Louverus,* (b) *neque negotium omne ſecretionis humoris pericardii committendum ſit aut glandulis juxta aſperam arteriam poſitis, aut iis circa diviſiones bronchiorum protuberantibus, ut videtur cl. Lanciſio.* (c) *Fateor tamen quod cum in cadavere adoleſcentis empyemate extincti anno præterito quærerem Lanciſianam humoris pericardii originem, & omni educta pericardii aqua comprimerem notatas bronchiorum glandulas, aliaſque cultro aperuiſſem, etſi*

I 2 nul-

(a) *Not.* 20. *ad Comp. p.* 255. (b) *De corde Bib. Anat. p.* 2. *pag.* 883.
(c) *Oper. poſt. de corde prop.* 18. *cart.* 33.

*nullus ex compreſſione fluxus humoris ad pericardium eſt habitus, ex apertura vere inventus eſt in glandulis circa bronchiorum diviſionem poſitis humor quidam glutinoſus, turbidus, & aliquantulum ſubcruentus omnem ſervans ſimilitudinem cum illo, quem e pericardio eduximus, quod num vere Lanciſianam confirmet obſervationem, num autem ad alias referendum ſit cauſſas tibi, Molinelle amiciſſime, dijudicandum relinquo. Ut ut autem res ſit, negari profecto non debet ab Anatomico, multam aquæ copiam emungi a glandulis pericardii; nam in eo de quo ſupra dicebamus vitulino pericardio ita prominebant, ut vel compreſſæ ad interiorem faciem guttulas redderent, vel apertæ humorem limpidum, & ſalſum continerent non illi diſſimilem, qui in pericardio continebatur. Glandulæ autem iſtæ non in exteriori pericardii facie locum habebant, ut illæ illius pueri ab immortali Malpighio* (a) *ſecti, ſed inter tunicam, & tunicam, atque inter muſcularium fibrarum areas, grandes ut grana milii, ſolidiuſculæ, albicantes, racemoſæ, pluribuſque ſanguiferis vaſis interſperſæ, & nihil morboſæ naturæ referentes. Quod ſi etiam plus juſto majorem, ob morbum, habuiſſent magnitudinem glanduloſa corpuſcula non illico ad arma clamandum eſt, concludendumque a præternaturali ſtatu non rectum eſſe conſequens ad naturalem, nam quemadmodum inepte philoſophantur, qui nimis morbo tribuunt, ita graviter aberrant, qui nihil illi concedunt; ſæpe enim*

*mor-*

(a) *Diſſert. epiſt. de tract. gland. conglob. par. 20.*

*morbus aliud nihil agit quam partium formam augere, non vero ſtructuram mutare, ex cujus magnitudinis incremento diſtinctior, & apertior naturæ ratio, & inſtitutum eluceſcit. Sic niſi unquam glanduloſam, & veſicularem jecoris ſubſtantiam inveniſſet Malpighius* (a) *noſter, aliique tum rationibus, cum obſervationibus confirmaſſent inſpectio cujuſdam morboſi hepatis anno præterito a nobis ſecti rem ipſam non minus, atque illa Littrii* (b) *de renibus, & Brun de jecore luculentiſſime manifeſtabat. Erat præ manibus cadaver hominis ictericia defuncti. Illius hepar obſcure flaveſcens, plus juſto majorem nanciſcebatur magnitudinem. Tunica exterior craſſiſſima facta inhærebat quaſi per gluten ſubſtantiæ hepaticæ, eo modo quo pleura in affectibus pectoris inhæret ſæpe pulmonibus. Illius incremento non reſpondebat vaſorum ſanguiferorum diameter, naturalem ſiquidem ſtatum excedere non videbatur. Parum bilis cæmentoſæ continebatur in cyſti, ſed multa erat exiliſſimorum calculorum quantitas nigrorum, & flammam concipientium de illorum ſpecie, quos deſcribit Anatomicorum princeps Morgagnius.* (c) *Valvuloſus, ſive ut placet cl. Planchio* (d) *Cochlearis cyſticus ductus velut tartaro parietibus appoſito quaſi penitus obſtruebatur, & licet ductus hepaticus verſus choledocum admitteret ſtylum, tamen fere omnes bilarii pori ne ſetam quidem admittebant pro-*

---

(a) *De Viſc. ſtruct. exer. p. cap. 2. p. 14.* (b) *Hiſt. Ac. Reg. Scient. anno* 1705. (c) *Adv. Anat. 3. anim. 28. pag. 60.* (d) *Epiſt. Reſp. ad Put. pag. 6.*

*propter concretam in iis piceam, tenacemque materiam. Gratiſſimum autem oculis noſtris attulere ſpectaculum racemoſæ quædam veſiculæ non albicantes, neque in jecoris tantum ſuperficie locum habentes, ut vidit Heiſterus,* [a] *noſque cum accurato Sacenti menſe Decembris uno in cadavere hic, atque illic ad modum hydatidum ſparſas obſervavimus, ſed demptis vaſis ſanguiferis, nerveis, & bilariis omnem jecoris compagem craſſæ glandulæ componebant. Fere granum piſi magnitudine æquabant aliquæ, aliæ minores, plures ut grana tritici, alteræ alteris ſuperpoſitæ ſpheroidis æmulantes figuram, continebantque in ſe bilem illi ſimilem, quam in cyſti invenimus, licet minus craſſa eſſet hepatica, flavo virens, & acerbiſſime amara; quod quidem fecit ut judicarem nihil a veſicula fellis peculiare ſecerni ad amaritiem bili conciliandam, ſed ſat amaroris in illa evolvi a diuturna mora, & denteſcentia materiæ. Hoc eodem in cadavere, ſicut ſubinde per repetitas obſervationes in aliis, compertum habuimus Gliſſonii capſulam non ex toto membranaceam eſſe, ut quibuſdam placere videtur, ſed ex fibris carneis compoſitam, quæ tamen tales non ſunt, ut fortiſſimis ſuis contractionibus bilis ex jecore ad inteſtina urgeri poſſit, ut notat Bellinus, & redarguit Fantonus,* [b] *ſed revera talem in ſe ſervant ordinem, tantiſque interſecantur fibrillis, & junguntur, ut eo in loco quo porta veluti lacum facit, videlicet in limine jecoris, non firmitudinem modo, ſed etiam motum*

(a) *Not.* 19. *ad Comp. Anat. pag.* 253. (b) *Diſ.*6. *An. pag.* 110.

*tum ſanguini conciliare videantur. Etſi autem capſula iſta rectiſſime ab auctore* [a] *Gliſſonio deſcribitur, ita ut eam dicat ad arteriæ firmitudinem proxime accedere, carnoſiorem eſſe, & craſſiorem peritoneo, purpureo quaſi ſaturari colore, per integrum jecoris portæ excurſum ſequi, non ita tamen deſcripſit, ut aliquem etiam obſervantibus dubitationi locum non reliquerit, præſertim cum primo aſpectu revera membranacea tantum videatur, & aliquantulum rubella. Itaque ſi naturam capſulæ iſtius, ſive vaginalis involucri cognoſcere velis, ut coquas tunicam oportet, quemadmodum pro rite cognoſcendo ſphinctere veſicæ docet Fallopius,* [b] *& adverſo ſole, vel diligenti ſectione facta inſpicias, tum enim poſt elixationem criſpata capſula ſparſas velut unit fibras, facitque ut iſtæ facile prodeant in conſpectum, apparent ſiquidem parallelæ, & obliquæ, pallidiuſculæ, tranſverſiſque albidioribus fibrillis connexæ. Quod ſi hujus ſtructuræ ordinem intra jecoris ſubſtantiam inquiras, vereor ne quod circa jecoris limen invenire facile potes ultro in inquiſitione deſiderare vix poſſis, nam quo magis vagina Gliſſoniana venam portæ, & reliqua vaſa includendo intra jecur progreditur, eo minus apparet carnoſa, quin immo ex toto tenuis, & vel etiam diſparens ſolutos, & liberos relinquit portæ ramuſculos, reliquaſque radices, & trunculos, qui ad ultimum uſque terminum eadem vagina falſo tamen includi putantur; quod cum de Gliſſoniana dico capſula, vereor ne*

(a) *Anat. Hep. Bib. Anat. p.* 1. *p.* 306. (b) *Obſ. Anat. pag.* 69.

*ne idem etiam de illa* [a] *Lanciſii pulmonaria vaſa amplectentis affirmari poſſit, ſed hac in re judicium cohibeo donec tutius obſervationes meas tecum potero communicare; ut autem redeam ad carnoſam Gliſſonii tunicam talem eſſe debuiſſe oſtendit modus præparationis, & excurſus materiæ biliferæ in ipſo jecore. Volebat natura primum ſanguinis conteſcentiam, ſed etiam intendebat facilem illius excurſum; inde vim, & acumen in bile parabat, ſed uno, eodemque tempore temperantiam quamdam, & frenum impoſitum bili deſiderabat. Obtinet autem unum ſecretione facta ope venæ portæ, habet alterum per Gliſſonianam capſulam eo loco carnoſam, quo majus moræ periculum imminet, conſequitur tertium per ſanguinis principia oleoſoſalſoalkalina, tenet poſtremum per lienares glandulas, quæ humorem ſalivæ analogum ſegregantes miſcent effuſo ſanguini, & bilem reddunt ſubdulcem; atque ne tibi res, aut Malpighiana, aut noſtra tantum conjectura ducta videatur; vide quid tandem obſervavimus in cane, cui diligens Bonazzolius anno præterito lienem extraxit, & noſtris commiſit obſervationibus. Vix quattuor hic compleverat menſes cum ſplen extractus eſt. Citiſſime a vulnere convaluit, & ultra annum ſervatus eſt inter vivos. Eo tempore nec frequentior micturitio, nec major voracitas, ut illi cujus ſplen ligaverat* [b] *Malpighius contingere videbatur. Non ſitis ardentior, non dejectiones difficilio-*

(a) *Oper. poſth. de corde: Prop.* 15. *cart.* 30. (b) *Lib. de viſc. ſtruct. diſſ. de lien. cap.* 6. *pag.* 131.

*ciliores conſuetudinem, & naturam cæterorum canum ſuperarunt. Coivit bis cum famellis canibus ad hunc uſum cubiculo incluſis, & illæ facile conceperunt, quod etiam animadvertiſſe legimus* [a] *clar. Morgagnium, & Valliſnerium.* [b] *Summe ad iram pronus videbatur, & ad curſus velocitatem aptiſſimus. Hiſce probe cognitis, & per longum tempus confirmatis, hunc non modo canem mactavimus, ſed alterum etiam ejuſdem circiter magnitudinis, temperiei, & ætatis ſecuimus, ut cum promptiſſimus comparationi locus eſſet, diſcrimina inter viſcera, & humores utriuſque facilius, & tutius notari poſſent. Hæc autem inventa ſunt: jecur aſplenii libram unam, & uncias quinque pendebat. Colore intenſe rubebat inſtar vividorum pulmonum. Subſtantia friabilis digitis vel leviter comprimentibus cedebat. Vena portæ amplior reddita minimum digitum admittebat. Turgebat Cyſtis fellea, & contenta bilis tres drachmas, & ultra pendebat. Colore flavo viridi, & ut ajunt pſittaci tingebatur. Conſiſtentia ſyrupos, ſapore aloes vincebat. Jecur vero alterius canis, cujus integer erat lien, uncias decem non ſuperabat, colore ſubobſcuro, conſiſtentia ſolida, & nihil cedente. Porta vix calamum ſcriptorium æquabat. Bilis cyſtica ſcrupulos duos non excedebat. Summe oleoſa, & amaro dulcis colorem ceræ flavæ tenebat. Hiſce notatis, bilem cyſticam canis aſplenii in tres diviſimus partes, tribuſque vitreis vaſis incluſimus, ut ſuper affunderemus liquores. Hinc primum guttæ*

K quat-

(a) *Ad. 3. An. 19. p. 36.* (b) *Eph. C. cent. 3. obſ. 30.*

*quattuor olei tartari affuſæ ſunt uni bilis drachmæ, nullaque ſuborta eſt efferveſcentia, nulla coloris mutatio, nulla conſiſtentiæ varietas, ſed tantum fœtor quidam ſanioſus nares feriit, & præcipitatio levis nata eſt, unde aliquid ſedimenti viſum eſt in vitreo vaſe. Alteræ bilis drachmæ affuſæ ſunt guttæ quattuor ſpiritus nitri, & licet primum nihil efferbuerit, agitata tamen, & commota ebullitionem eſt paſſa, mutatuſque eſt color in rubrum ſaturum, qualis eſt ille pomi granati, qui tamen paulo poſt efferveſcentiam, novam quaſi induit ſpeciem, ita ut colorem perſicum repræſentaret. Tertiæ bilis drachmæ quattuor mixtæ ſunt guttæ ſpiritus vitrioli, & nihil novi præter colorem minus intenſum obſervavimus. De bile alterius canis, cum eodem modo periculum feciſſemus, vix quid contigit ſupra notatis diſſimile, ſi aut odorem, aut colorem magis, minuſve intenſum demas. Ex hac autem obſervatione quamquam nonnulla colligere liceret ad bilis naturam cognoſcendam, tamen ne ab eo quod ſuſcepi deflectam, illud pro Lienis uſu videtur conſequi, quod ſcilicet a natura ſit datus non minus ad remorandum ſanguinem, ſed etiam, ut dicebamus, ad reddendam bilem ſubdulcem, nam natura tali viſcere deſtituta diametrum vaſorum Hepaticorum adauget, ne nimis celeriter feratur ſanguis ad Hepaticas glandulas, cum vero ſtructuram aliquam creare non poſſit in jecore [quod vellem tandem aliquando intelligerent ii, qui ſtructuram novam fieri in ſtatu morboſo prædicant,] quæ humorem ſalivalem ſecernat, ut in liene pro inſtituto*

to

*to jam facit, reſtat bilis amara valde, & pungens, ut in cyſti inventa eſt, ex cujus bilis principiis nimis forte abradentibus friabilitas hepatis ſecuta eſt, niſi hanc ab incremento vaſorum velimus repetere. Sed conjecturalia ſunt iſta, de quibus tu rectius, & tutius dijudicabis. Ut tamen de ſalivali, ſubdulcique ſucco ad bilem temperandam argumentum aliud habere poſſis, non abs re judico ſi aliam obſervationem in cane rabido factam in medium proferam, & quæ ex iſta conſequi videntur proponam. Experiri ſiquidem volebam quid valerent fibræ ventriculi, quidve facerent fluida pro concoctione peragenda; non enim adhuc Pitcarnio* [a] *ſubſcribere poteram volenti talem eſſe ventriculi momentum, ut eo, vel majori robore ſolveret ciborum, animaliumque ingeſtorum partes, quo jam illæ nutritæ ſunt; hoc eſt majorem eſſe vim fibrarum ventriculi ad ſolvendum, quam fibrarum cordis, arteriarum, reliquorumque inſtrumentorum ad nutriendum, cum illa ſit æqualis vi* 11700., *quæ quadrupla eſt potentiæ naturalis cordis. Itaque id feci primum, ut canis appoſito tenui juſculo exſiccatis tantùm, tritis, & medulla carentibus oſſibus nutriretur, hujuſque materiæ pondus bis in die exhibitum binas libras non excederet. Tale alimenti genus nihil qualitate, ſi bilis demas tincturam levem, nihil quantitate diverſum a comeſto dejectum eſt, ita ut excreta per alvum, aſſumptis per os circiter reſponderent, ex quo etſi non conſequitur nihil oſſis ſolutum eſſe a ſtoma-*

K 2 *cho,*

(a) *Diſſ. de mod. quo cibi redig. ad for. ſang. pag.* 77. *& ſeq.*

*cho, cum bilis, & ſucci inteſtinorum commixti fæcibus, pondera excretorum, & aſſumptorum comparata invicem æquivoca redderent, illud tamen probe eſt cognitum vim ventriculi exſiccatorum, duriorumque oſſium quantitatem majorem nullo modo vincere potuiſſe, & parum nutricantis materiæ per lactea ſanguinis jacturas reparaſſe, quod oſtendebant & laſſitudo, & tabeſcentia animalis. Illud ipſum quattuor ab hinc annis aliis in canibus cognovi, quorum unus, cum quinque jejunaſſet dies appoſita devoravit oſſa tria butyro inuncta, ſed cæteroquin exſucca. Horum oſſium unum uncias tres pendebat, binas alterum, unam tertium, hæcque poſt dies tres excreta fuere ejuſdem ponderis, demptis ſex tantum granis; & licet ſint qui aſſerant, vitrum, eburneas pilas, & alia hujuſmodi devorata corrodi, & triturari, tamen ſervo ego vitreas pilas ſcabras, quas per vim columborum ventriculis intromiſi, quæque poſt multum tempus ne uno quidem imminuto grano per alvum eductæ ſunt; ſed hoc poſtremum videtur facere adverſus eos, qui aut Pitcarnium nimis amant, aut illum de materia tantum alimentitia ſermonem habentem non ſatis recte volunt intelligere. Jam vero ad famelicum canem, de quo primum, redeamus. Cum jam me in opinione confirmaverim non valere vim ſtomachi ad diſſolvendas oſſeas fibras ope arteriarum, & cordis invicem compactas, & enutritas, juſſi, ut bonum alimentum, ſed aſſatum omne, & toſtum cani apponeretur omni prohibita potulentorum ſpecie. Ut famelicus erat primo tempore*

*devo-*

*devoravit cibos nihil de potu ſolicitus, reliquis vero diebus comedit quidem, ſed anxie potum quæritavit, donec decima octava die ab hoc regimine vitæ a cibo abhorruit, & non levia ſive obtutu torvo, ſive ore dehiſcente, ſive oculis rubentibus, ſive lingua exerta, ſive impetu in ligna, in terram, in obvia quæque rabiei promere cœpit indicia. Mactavi canem, & ſecui. Illius ventriculus circa pylorum intenſe rubebat, parietes vero & ſtomachi fundus quaſi bilioſo, & vitreo glutine inficiebantur. Jecoris ſubſtantia, & bilis hepatica erat moleſte pungens. Fel veſiculæ naturam piceam; colorem atrum, ſaporem habebat per quam amarum. Pancreas liveſcens turgebat. In inteſtinis tenuibus viſcoſus, & ſubniger hærebat mucus, in craſſis cæmentoſæ fæces. Omenti vix apparebat veſtigium. Renes colore ad purpuram accedebant. In veſica vix urinæ uncia turbulenta, & craſſa fluctuabat. In reliquis viſceribus, & partibus nihil videbam novi præter ſtagnantem non pauca in copia in ſubtilioribus arteriarum ramuſculis nigerrimum, craſſumque ſanguinem ei omnino ſimilem, quo venoſi canales turgebant. Ex quibus ſi non ſatis intellexi rabiei naturam, potulentorum tamen neceſſitatem cognovi. Quamobrem cum ſanguis debito orbatus ſero univerſas ſecretiones imminueret, parum viſcoſi, & ſalivalis humoris miſit ad inteſtina per glandulas* [a] *Brunnerianas, & per poros a celebri Galeatio* [b] *noſtro inventos, unde fæces cæmentoſæ, & fortiter adhærentes, parum ad renes,*

*unde*

(a) *Tract. de gland. duodeni.* (b) *Act. ſcient. inſtit. p.* 359.

*unde urina pauca, & turbida, parum vel forte nihil ad ſplenis glandulas, unde & in jecore, & in cyſti bilis amaror intenſus, vitreuſque etiam biliferus ſuccus in ſtomacho eſt inventus. Sæpe enim bilis non in inteſtinum tantum duodenum immittitur, ſed vel immediate in ſtomachum devenit, ut in bicorporeo monſtro vidit vir magni nominis, & eruditiſſimus Sebaſtianus* Trombellius, (a) *vel prope pylorum egrediens non minus ventriculo, quam inteſtinis tranſmittitur, ut de* Cabrolio *narrat doctiſſimus* Morgagnius, (b) *vel denique ita aliquando ſpumeſcit, & per inteſtinorum contractionem regurgitat, ut ventriculi poſſit parietibus inhærere. Quod ſi aſplenius noſter ad iram ſumme videbatur pronus, eveniſse id ob acutiem bilis ad inteſtina tranſductæ, & nervoſas tunicas irritantis ſuſpicari poteſt; bilis enim aut in ſanguine contenta, & a ſeroſo fluido non coercita, aut in jecore ſecreta, & in cyſti collecta valde pungens, & fortiter ſtimulans rabiem forte animali intulerat. Hinc videtur ſequi, non ſemper eſſentiam rabiei conſtituendam eſſe in mutata penitus ſolidarum partium ſubſtantia, ut Pelops* (c) *Galeni præceptor judicabat, ſed a peculiari irritatione facta ad partes nervoſas ob deficientiam humoris ſeroſi, quod confirmare videtur hiſtoria de monacho hydrophobo a Capivaccio* (d) *relata, in cujus præſertim Pericardio nulla aqua inventa eſt. Quam quidem rem non tanti facio,*

---

(a) *Iſtoria della gener. Valliſn. part. 3. c. 5. p. 450.* (b) *Ad. Anat. 3. anim. 24. pag. 51.* (c) *Gal. lib. 2. de ſimpl. med. facult. C. de Cancr. uſtis.* (d) *Prax. lib. 7. c. 12.*

*cio, ut judicem aut quoties Pericardio deficit aqua, aut quoties habetur ad nervos irritatio, aut denique quoties bilis ſit acris, & mordet, in rabiem incidere animal, ſed tantum ex neceſſarii liquidi deficientia poſſe aliquam & aliquando conjecturam haberi ad naturam rabiei cognoſcendam. At de hoc pluſquam ſatis a nobis eſt dictum, & ſi quid fuſius, Molinelle mi, deſideras, a Cornelio Stalpartio* [a] *habere facile potes. Ut autem alias in animalibus factas obſervationes tecum communicem, ſcias oportet, repetitum a nobis fuiſſe Aſtrucianum* [b] *experimentum pro muſcularis motus cauſſa aſſignanda, nihilque inventum eſſe quod ſanguini favere poſſit, nam quoties arterioſum ligavimus vas, toties canis membra, artuſque movebat, & quattuor pedibus gradiebatur, non minus ac ſi nihil ligatum eſſet, quod ut primum vidi, timui ne ſatis recte vinculum injectum eſſet, proinde ſecui crus ligato vaſi reſpondens, & ne unica quidem effluxit ſanguinis guttula, quod experimentum aliis in canibus repetitum habuit Bonazzolius, ligando videlicet brachialem utpote minus nervis ſubjectam, atque ille quoque anteriora crura recte quidem, ut primum, moveri animadvertit; unde jam vides, Molinelle mi, quam parum fidendum ſit illis rebus, quæ ab experimentis conſequuntur. Nam ſi non in Stenoniano, tum vel certe in Aſtruciano quiſnam negaſſet ſanguinem pro motus muſcularis cauſſa vera, & ut ajunt eſſentiali? tamen repetito experimento, & re melius perſpecta ſanguinem ſolum*

(a) *Obſ. 100. cent. p. p. 400.* (b) *The. Anat. Mang. lib. 1. cap. 4. p. 21.*

*lum concurrere, tanquam eſſet cauſſa remota, & quaſi inſtrumentum apparebit; & revera ſi tam promptas, & ſubitæ voluntatis ſubjectas motiones ſpectemus, ſi vel tenuitatem inſtrumentorum, atque fibrarum conſideremus, licet in iis ſumma vis eſt, non poſſumus quin graviſſime de ſanguine dubitemus, remque omnem deducamus ad fluidum per nervos excurrens perniciſſimo motu, & ſumma præditum tenuitate, ſicut etiam ad peculiarem ſtructuram fibræ facile diſtrabibilis, & proprium locum, & poſitum promptiſſime occupantis, cujus naturam, agendique modum, doctiſſime, ut ſolet, declarat Jo: Dominicus Santtorini.* (a) *Revera ſi ſanguinis ipſius, pro ut ſanguis eſt, vires conſideremus cum Borello* (b) *Alphonſo Geometra acutiſſimo, & minimas eſſe judicabimus, & tales, quæ pondera ſuſpendere non valent, niſi vellemus ſanguinem ſe ipſum impellere poſſe per arterias, & vim minimam ſuperare reſiſtentiam centies, & millies ſe ipſa majorem; & licet vis impulſiva cordis in auxilium vocetur, ſat tamen probatum eſſe judico ab eodem, tali modo non poſſe ſanguinem muſculos movere, niſi admitteremus effectum ad producendam ſuam cauſſam valere. Sed quid ab experimento Aſtruciano, prout nobis contigit, rem ipſam confirmare contendimus? An non etiam alio in cane ligata vena cava ſuperiori, & ventris vulnere conſuto, ut expertus eſt clariſſimus Joſeph Guglielminus, nihil motus in muſculis ad non breve tempus deperditum*

(a) *Opuſ. med. diſſert.* 1. (b) *Tract. de mot. anim. p.* 2. *c.* 2. *prop.* 18. 19.

*tum eſt? Quæ tum in hoc experimento non conſequebatur ab impedita circulatione ſanguinis effuſio per muſculos, quæ fibrarum diſtenſio, quæ difficultas regreſsus? Hæcque ad ſe ſe prompte, libereque movendum impedimento non eſſe debebant, ſi ſanguis vere, & eſſentialiter muſculos in motus ageret? Reſtat itaque ut ſanguis vel nullo modo ad motum muſculorum faciat, vel ſi id facit, remote tantum concurrat; non quod lucta, aut effervescentia aliqua per ipſum, & per ſuccum nervorum, ſive per aerem egredientem a ſanguineis globulis ſuſcitetur, ſed quia in certo quodam tono tenentur fibræ, & in quodam caloris modo eædem ſervantur. Sed neque hic muſculare ſyſtema conſtituere eſt animus, neque aliena refellere volo, & etiamſi vellem, non valeo. Id tantum expoſui, ut ſignificarem tibi, quid cum Aſtrucianum experimentum iterarem deprehenderim. Revera ſi quædam alia inſtauraremus experimenta, obſervationeſque iterum remiſceremus, vererer ne, prout nobis afferuntur, contingerent. Quid enim apertius, & tutius pronunciari poteſt, quam id quod ab accurato cæteroquin Viro* [a] *Georgio Baglivo affertur de ranis, quibus ſi viſcera evellantur non in limine eſt mors, ſed vegeta eis eſt vita, donec caput obtruncetur? Quibus talis animadvertitur vitro in venis ſanguis circulans, ut purior pars, & tenuior, canalis axem teneat, craſſior vero ad parietes magis accedat, ut videtur velle hiſce verbis:* hæ rectæ lineæ [ *loquitur de ſanguine* ] velocius cur-



(a) *Diſſ. de exp. Anat. exp.* 11. *p.* 441.

runt in medio vaſis, quam circa latera ejuſdem, & quo magis accedunt lateribus, eo magis amittunt de ſua velocitate? *Quibus ſi pix liquida, & calens aut per dorſum, aut per caput affundatur mors ſtatim advenit, quod etiam a Thoma Bartholino* [a] *confirmatum habemus? Tamen & amputavi capita, vegetæque ſaliebant ranæ, & pice linivi, nullumque allatum eſt nocumentum, & ſanguinis venoſos, arterioſoſve canales æqualiter pellucidos ita conſpexi, ut nullum certe judicium, ne probabile quidem, afferri poſſit de ſubtiliori ſanguinis parte medium canalis occupante. Quin immo hoc ipſum non obſervationi minus, quam rectæ mentis rationi videtur adverſum, nam ſi fluidum quodcunque tale eſt, ut illius partes vi cuicumque illatæ cedant, & cedendo facile commoveantur inter ſe, ut docet Anglorum ſplendor Nevvthonius* [b] *fieri non poteſt, quo minus ſanguis per canales elaſticos excurrens niſum, & contraniſum, actionem, & reactionem in ſingulis ſuis partibus exerceat, unde neceſſario miſcella, ſubactio, & particularum craſſarum, cum tenuibus confuſio conſequetur; & licet amiciſſimus mei, & ingenioſiſſimus* [c] *Michelottus probet fluidum mixtum ex glutinoſo, & non glutinoſo, ita per canalem ferri, ut pars glutinoſa ad latera tendat, minus glutinoſa ſe ſe in medium canalis recipiat, monet tamen doctrinam hanc ad ſolidos, & nullo modo cedentes tubos referri debere, non vero ad*

(a) *Anat. lib. 2. de pul. cap. 9. mihi pag. 424.* (b) *Phil. nat. princ. Math. p. 265.* (c) *De ſep. fluid. in corp. ani. prænot. 8, 9.*

*ro ad illos diſtractiles, & contractiles quales arteriæ ſunt, atque etſi de iſtis doctrina valeret, animadvertendum eſſet ab iis, qui Baglivum ſequi vellent id, quod ab eodem doctiſſimo Michelotto ſubditur de curvatura canalium, in quibus fluida validiora, & me judice magis tenuia vim habentia centrifugam, erunt ad partem convexam, tentabuntque procedere juxta curvæ tangentem, quod craſſioribus vim centripetam appetentibus non accidet. Sed fruſtra rationes quæro ad enervandum id, quod nullo modo, ut ſupra eſt dictum, obſervationi reſpondet. Quod non dico, ut quieſcentibus cineribus tanti viri, qualis eſt Georgius Baglivus ſim injurioſus, ſed ut ſignificem obſervationes aliquas, atque experimenta non omnibus eodem modo contingere, tum vel quod levis circumſtantia rei naturam mutat, & experimentum reddit fallax, tum vel quod ſæpe vitio auctorum id ad univerſa traducitur, quod particularibus tantum convenire videretur. Legebam Bartholinum Thom.* (a) *docere in animalibus volatilibus omnibus aqueum, cryſtallinum, & vitreum oculorum humorem præſertim in gallis, & anatibus per vim extractum facile reparari, quod ut legi experiri volui, num vere & iis, & aliis id accideret, proinde anati, columbis duobus, paſſeri, gallinæ, binis gallis, & gallo indico corneas incidi, & humores eduxi curationis negotium omne providæ relinquens naturæ. Gallina, paßer, anas, & galli nulla doloris, multa cæcitatis, uſque ad decimam ſextam diem, de-*



(a) *Act. Haf. Ph. & Med. anni* 1672. *p.* 264.

*dere ſigna, quibus tranſactis viſum vere recuperatum cognovi. Gallus indicus convulſus, dolens, & ſine cibo ad tres ſtetit dies, inde vegetus, ſed cæcus factus eſt. Columborum vixit unus palpebris ſemper clauſis, periit alter forte ex nervi optici laceratione. Quadrageſima jam elapſa die notare volui, quæ in animalium oculis conſtruxiſſet natura, illudque vidi, quod in iis quibus oculorum acies reſtituta eſt, vitreo humore, & aqueo turgebat bulbus, cryſtallino deficiente, in columbo vero, & gallo indico plurimum humoris continebatur ſublividi, filamentis tincti ſanguineis, ramentiſque quibuſdam ſparſi, ceram flavam ſolidam æmulantibus. Ex quo intelleximus, tum non omnibus animalibus etiam volatilibus id commune eſſe, ut humores educti renoventur, iiſque forſan tantum, quibus non ex toto divulſa eſt tunica vitreum circumcingens humorem, tum oculo ineſſe vaſa, a quibus ſecedat lympha, & per quos iterum generentur humores, ut Hovvius* (a) *deſignat, oſtenditque Ruyſchius clar.* (b) *Denique ſatis clare deprehendimus in nemine cryſtallinum renovari, & animalia memorata vidiſſe, quaſi dicerem, per caliginem, eo modo quo vident illi, quibus in cataracta a Chirurgo deprimuntur cryſtallini. Itaque, quæ libera Bartholini eſt aſſertio, nec in omnibus locum habet, & in iis, in quibus habet, non omnes reſtituuntur in priſtinum gradum humores. Per idem tempus quo cryſtallinos a volatilibus educebam, & cryſtalloidem tunicam dividebam, exilibat levis aquæ portiun-*

(a) *De circ. hum. in oculo.* (b) *Epiſt. prob. tab.* 16.

*tiuncula, non minus atque in homine, in majoribus piſcibus, in vitulis, & bobus ſe ſe animadvertiſſe docet cl. Morgagnius;* (a) *verum & in illis, & in aliis avibus conſiderans conſiſtentiam, non diverſam in diverſis cryſtallini partibus denſitatem videre ſum viſus, ſed ſubſtantiam quamdam in globulos facile diviſibilem, eo modo quo* vitreus humor (b) (*Morgagnii verbis utar*) tenuiſſimis, crebriſque membranulis, fere ut intra uvarum acinos fieri videmus, interſeptus &c. *ita ut æqualis appareret in omni cryſtallino conſiſtentia, quod tamen cum in aliis, ut ſcis, animalibus diverſum ſit, neque in avium cryſtallinis exſiccatis tutiori anatome ſit animadverſum, hac ſuper re, ſicut & in omnibus, judicium noſtrum cohibemus. Hac quoque data occaſione cum in mentem veniret, ab Anatomicis fere omnibus aſſeri humanum cerebrum illud reliquorum animalium magnitudine ſuperare, non abs re fore putavi, ſi id ipſum obſervationi noſtræ committerem, quamobrem extractis, denudatiſque a tunicis variorum animalium cerebris tum iſta, tum corpora lance pendenda commiſi, ut quod eſſet diſcriminis plane cognoſcerem. Hinc & in paßere canario, & in fele, & in cane, & in erithaco, & in paſſere ruſtico, & in gallo comparationem cum homine inſtitui: hæc autem habui.*

*Pen-*

(a) *Ad. Anat. 6. an. 71. pag. 90.* (b) *Ad. Anat. 6. an. 82. p. 106.*

*Pendebat cadav. hominis adoleſc. lib.* 114. 6.

| | |
|---|---|
| *cerebrum* | *lib.* 3. *unc.* 8. $\frac{3}{4}$ |
| *corpus paſſ. canarii* | *drac.* 3. |
| *cerebrum* | *gr.* 13. |
| *corpus felis* | *lib.* 8. |
| *cerebrum* | *drac.* 6. *gr.* 32. |
| *corpus canis* | *lib.* 2. *unc.* 9. $\frac{1}{2}$ |
| *cerebrum* | *drac.* 6. *gr.* 29. |
| *corpus erithaci* | *ſcrup.* 17. *gr.* 6. |
| *cerebrum* | *gr.* 11. |
| *corpus paſſeris* | *drac.* 6. *ſcrup.* 2. |
| *cerebrum* | *gr.* 21. |
| *corpus galli* | *lib.* 2. *unc.* 1. |
| *cerebrum* | *unc.* $\frac{1}{5}$ |

*Ex quibus in aperto eſt, quod ſi corpus exempli cauſa paſſeris canarii ad pondus librarum* 114. 6. *creviſset, & cerebrum debita proportione incremento partium, & viſcerum reſpondiſſet, æquaſſet lib.* 6. 10 $\frac{1}{2}$, *quæ fere eſt duplo major quantitas, ac illa cerebri humani aſcendentis ad lib.* 3. *unc.* 8 $\frac{3}{4}$; *ſic cerebrum felis eodem progreſſu ſpectato ad lib.* 11 $\frac{5}{8}$;

*illud*

*illud paſſeris ad lib. 5. Et licet habita computationis ratione in aliis quantitas minor cerebri reſultet, neque viſcerum augmentum proportionem ſervet ad incrementum corporis, ut in fœtuum jecore, in agnis, in bobus animadvertimus, tamen ex allatis obſervatiunculis conſequi poteſt non ita prompte, & tuto aſſerendum eſſe humanum cerebrum mole majus eſſe, ac illud reliquorum animalium. Revera ſi aliquantulum ſecretorium iſtud ſpectemus, & neceſſitatem ſpirituoſi fluidi, non poteſt quo minus fere idem mole, & magnitudine organum omnibus inſit, niſi qualitate diverſos ſpiritus ipſos velimus, quod etſi eſt aliquando, tamen cum, me judice, univerſæ corporis partes a nervis ducant originem, debent & iſtæ, proportione ſervata, ſuæ reſpondere origini, & exortui, quem eſſe arbitror cum* (a) *Malpighio in excretoriis glandularum cerebri a pia, & glanduloſa meninge circumvolutis; cujus involventis tunicæ ideo mentionem facio, ut ſcias hoc anno contigiſſe mihi, Bonazzolio, & Menghinio illud idem, quod tibi ipſi alias tunicam hanc tractanti accidiſſe docuiſti nos in Actis Scientiarum Inſtituti;* (b) *cum enim ſecaremus caput hominis ob acutam febrem extincti, atque morbi tempore in furibundum delirium rapti, cumque inflammatam, carnoſamque meningem divideremus, illico in conſpectum venit pia meninx, non tantum circa ſinum longitudinalem glanduloſis acinis ſcabra, ſed iſtos quoque habens, & confertos, & ſparſos per omnem ſui ſubſtantiam, atque ambitum; & licet tum in prom-*

*ptu*

(a) *De Viſc. ſtruct. de cereb. cort. diſſ. 2.* (b) *Cap. de exp. Anat. p. 139.*

*ptu non eſſent vitra ad acinorum naturam probe cognoſcendam aptiſſima, tamen oculis etiam nudis apparuere ut grana milii, albicantes, turgiduli, iiſque conſimiles, quos Sanctorinus* (a) *Arachnoidi adſcribit, ut recte notat Heiſterus.* [b] *Eodem quoque in capite præter plexum choroideum evidentiſſime glandulis veſicularibus ſparſum, illud notatu dignum erat, quod nervorum omnium paria non parallela a cerebro prodibant, ut aſſolent, ſed nervus unus ſupra dextrorſum, alter infra ſiniſtrorſum ferebatur. Nobis interea, quaſi per jocum de ſtultitia hominis illius, ob hujuſmodi nervorum progreſſum diſputantibus, ab amicis, & parentibus nuntiatum fuit, revera hominem quoad vixit, mente ſemper fuiße captum, & non levia depravatæ hujus ſtructuræ indicia protuliße. Sed jam, Molinelle doctiſſime, reprehendes me, quod cum primum epiſtolam ſcribere ſim pollicitus, nimis verboſus fuerim, atque ea collegerim, quæ plus habent moleſtiæ, quam utilitatis. Sed grates agas oportet inertiæ meæ, quæ me mihi metipſi moleſtum fecit; cæterum non hic epiſtolæ finis eſſet, ſed plura alia conſcriberem de tunica tympani, in qua aliquid vidi nondum ab Anatomicis cognitum, de organo auditus, quod vereor ne in zonulis ſtatui poſſit, de pulmonum vaſis, quæ numero majora dextrorſum, majorem lobum pulmonum videntur conſtituere, de papillis a Paggio ſolertiſſimo in humana urethra inventis, quæ magis ad urethram fœminarum pertinere judicamus, de inſertione, &* *uſu*

(a) *Obſ. Anat. cap.* 3. *pag.* 52. *parag.* 4. (b) *Comp. Anat. p.* 122.

*uſu muſculorum quorumdam male ab Auctoribus aliquibus deſignato, ut eſt Supraſpinatus, qui in capite, non in collo humeri eſt; Biceps, cujus tendo in pluribus deficit, & rarus eſt in fœminis; Radiæi, qui vere ligamentum habent annulare; Sartorius, de quo doctiſſime, ut ſemper ſolet, humaniſſimus Lapius noſter diſſerens, officium diverſum a communi ſtatuit; Peronæus, qui non flexor, ſed potius flexorum eſt antagoniſta. Verum de his ſatis per epiſtolam: fuſius vero tecum hæc, & quædam alia communicabo melius coram, ubi ad nos redieris. Accedit quod ille ego miſer, & inops negotiator rem omnem meam effundere non debeo, ne omni orbatus merce, tua tantum opus habeam cum ad nos veneris. Sed extra jocum. A te vehementer peto, ut non minus hæc noſtra cum leges pro humanitate tua, & ſapientia, quæ ſumma eſt, excipias, caſtiges, corrigas, verum etiam, ut de obſervationibus tuis graviſſimis aliquid per epiſtolam tu nobiſcum quoque communices. Interim quemadmodum tu amari a me certo ſcis, ita fac me dubitare non poſſe, quin tu mihi in amore reſpondeas; non dubitabo autem, ſi diligentia, & aſſiduitate laboris patriæ & amicorum expectationi, quæ de te ſumma eſt, ſatisfacies; ſatisfacies autem diligentiſſime. Vale.*

*Dabam Bononiæ: Idibus Aprilis: Anno* 1732.

*Vidit D. Auguſtinus Maria Alfieri Cler. Regul. S. Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnit. pro Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino D. Proſpero Cardinali Lambertino Archiepiſcopo Bononiæ, & Sac. Rom. Imp. Principe.*

---

*De mandato Reverendiſſimi P. Joſephi Ludovici Andujar Inquiſitoris Generalis S. Officii Bononiæ.*

*A.R.P. Bianci Conſultor S. Officii videat, & referat pro S.Off.*

*Ita eſt D. Auguſtinus Borelli S. Officii Not. ſubſtitutus.*

*ERuditiſſimas, æque ac aurea facundia præfulgidas Anatomicas lucubrationes, quas Prælo dare molitur Vir Excellentiſſimus D. Joſeph Pozzi Philoſophus, Medicus, Anatomicus in primis præclariſſimus, de mandato Reverendiſſimi P. Inquiſitoris Bononiæ perexacta criſi verſavi; eaſque, ut ab omni prorſus nævo quoad fidem, & bonos mores, immunes, publici Juris fieri poſſe cenſeo; quo magis rei litterariæ pomæria provehantur, & mirifica divini Opificis majeſtas, & ſapientia in humani corporis fabrica altius hominum mentibus, & cordibus inſideat. Ita &c.*

*Ego D. Clemens Bianci Cler. Reg. Theatinus S. Officii Conſultor, & librorum Cenſor.*

*Stante ſupradicta atteſtatione*

Imprimatur

*F. Pius Cajetanus Cadolini Vicarius Generalis S. Officii Bononiæ.*

*Opuſculum hocce diligentia noſtra, & Typographi non ſatis ab amanuenſium erroribus vindicavit, hinc cum, Lector benevole, in illos incidis, ita oportet corrigas.*

| Pag. | lin. | Error | Correctio |
|---|---|---|---|
| 29. | 7. | *altiſſima gloria* | *altiſſimæ gloriæ* |
| 29. | 17. | *non eam* | *non ea* |
| 35. | 2. | *Ptolomeus* | *Ptolemæus* |
| 36. | 21. | *Principi* | *Principe* |
| 47. | 7. | *quinam* | *quiſnam* |
| 48. | 30. | *cumulatoria* | *cumulatiora* |
| 61. | 15. | *pſeudo allantoides* | *pſeudo allantois* |
| 65. | 27. | *faceſcat* | *faceſſat* |
| 69. | 11. | *ictericia* | *ictero* |
| 72. | 2. | *amplectentis* | *amplectente* |

Nonnulla præterea cecidere, quæ Orthographos ſolertes offendunt; unde ut recta ſcriptura ſit *liberimo* addenda eſt alia littera *r*: *ſquammoſo*, & *ſquammæ* demenda eſt una *m*: legatur *ſtomacus*, *caldaicas*, *dracma*, *cholidocus* cum *ch*. Non omittenda eſt duplex *l* cum ſcribitur *ſubſelium*, & *caleo*, ſicut duplex *c* in verbo *exſico*, duplexque *n* in *cachino*, ſint licet qui velint unicam tantum *n*. In nominibus *chili*, *bombicis*, *chalibis*, *Verheienii*, *limphæ*, *Ruiſchii* ſignetur *y* in prima *i*. Denique *eternum*, *Phenices*, *proemium*, *ſpheroideum*, *cementoſum*, *peritoneum* propriis non debent carere diphthongis.